

Errata sic sunt corrigenda.

Primum admonendus est Lector x. & xi. dialogos esse Typographi incuria transpositos is enim apparatu agit proponendus est oppugnationi. In titulo epistolae prioris ubi est incytop. In eadē pagina. firmissime. mo. à tergo euidē paginē Toma, pro Thoma. Pagina 1. versu vltimo o Frizz. as. Freccias. Et tam hos quam Blanchos, & Surgētios animaduertat lector. Inter equites hab illic numerauimus quia venire in nostram academiam post Curtios. 4. præstringunt. per. 7. nequa. Ve. pasianus Sebastianus. 13. duntaxat. 14. saltatū. factitatum, 15. duo versus postremi repeti dem paginē. 17. quis. qui. 17. sensibus. sentibus. ea. eam. 20. plarumq;. plerumq;. 23. munus bis repeti quatur. ibidem. recipiantur. recipiantur 24. præstringit. perstringit 26. centoris. rii. 30. statuisse. statuis ra. 32. tanto. tanta. 34. asini. aini ibidem istar est. est abolendum est 35. munitura. munitum. 37. vid ur. ibidē. virtuti. virtuti. 37. vinoq;. vinoq;. 39. iuuenis. iuuenes. 40. considerem. considerem. 42. hiafi cisse. satis. cisse. 44 & 46. Atlas. Atlas. 45. bonotum. bonorum. 47. constanti. constantia. 48. voluit. uo ceterilque. tuaduxere. tra. si. nos. uos.

Illustrissime ProRex.

Reip. litterariz Dialogos aberuditiss. uin o Io. Baptista Rinaldo e luc ubr. modum iussisti, studio se legi. uidenturq;. digni ut in lucem ire possint.

Tibi deditissimus Io. Baptista Arcucius Theologus

Ego Frater Bartholomæus Sachus de Polla ordinis prædicatorum sacra Theologia magister, fidem facio qualiter uidi dialogos reipublice litterariz Magni Domini Ioānis Baptista Rinaldi. & nihil in eis inueni quod fidei charitati & ideo typis secure committi possunt. & in fidem huius hæc manu propria

Dat. Neapoli in conuentu sancti Dominici die 13. Februarii 1576.

Reuerendissime Domine.

Dialogi Reip. Litterariz editi à doctiss. & eruditiss. uiro domino Io. Baptista Rinaldi cum probentur à Reuerendis Theologis Arcucio. & Polla possunt imprimi. Neapoli 13. Iulii 1576. Imprimatur.

Io. Franciscus Lombardus.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L.

Omnes sunt terni.

ACADEMICA

ALTERA,

QVIBVS LECTIONES VARIIS

DE REBVS IN IOAN. BAP. RINAL.

ACADEMIA RECITATAE

CONTINENTVR.

SUB AVSPICIIS CICCI LOFFREDAE TREVICI D. Militaris, & litterariae peritiae gloria Clarissimi.

IOAN. BAP. RINALDO AVCTORE.



NEAPOLI

Ex Officina Saluiana. Apud Io. Iacobum Carlinum. Anno. 1579.

ACADEMICA

ALTERA,

QVIBVS LECTIONES VARIIS

DE REBVS IN IOAN. BAP. RINAL.

ACADEMIA RECITATAE

CONTINENTVR.

SVB AVSPICIIS CICCII LOFFREDAE TREVICI D.
Militaris, & litterariae peritiae gloria Clarissimi.

IOAN. BAP. RINALDO AVCTORE.



NEAPOLI

Ex Officina Saluiana. Apud Io. Iacobum
Carlinum. Anno. 1579.

AD LECTORES NEAPOL.



LECTORES humanissimi. Et si statueram nostra hæc Academia Venetis prælis, non nostris committere; tamen de mea sententia me deflexere Academicorum, & amicorum studia: Et præsertim IOAN. FRANCISCI LOMBARDI V. C. voluntas, cuius auctoritati plurimum omnes debemus. Tanto enim veritatis, & fidei amore emicat præter singularem eruditionem, & Christiane pietatis observantiam, quæ virtutes in eo summæ sunt omnes, ut eius mandata non parere nefas esse putem. Tot igitur amicorum efflagitationibus compulsus. Et FRANCISCI mandato iussus exhibeo alteram, & tertiam litterarum Reip. partes, quas antea pollicitus eram. Suscipite, eas vos hilare, & libenter: sunt enim civium uestrorum lucubrationes magno labore, summaq; industria parate. Eas vero benigne complecti oportet, ut cæteri ueststrarum laudum magnitudine instigati ad tam præclaram proiuniam magnopere contendant. Neque quemquam moueat, quod in prima parte una cum equitibus civitatis nostræ, ac potius post eos adnumerati sunt ciues alij non eiusdem conditionis; sed tamen honestis ori parentibus, qui aut in civitate nostra Regijs functi sunt magistratibus, uel adhuc funguntur: aut honestissime uiuunt. Scitis enim & hos quoque una cum illis militasse, & forte alacrius, neque minori cum gloria. Nemini fas est ius suum detrabere. Erat quisque suo loco reponendus, & sua laude honestandus. Neque id mihi assumpsi omnes, qui in urbe nostra de Litteraria Rep. optime meriti sunt (quis enim id poterit) celebrare: sed eos tantum, qui in nostris castris militarunt; aut qui in ea sua studia benigne contulerunt. Præterea si quis hic suum nomen non inuenerit, sciat illud ad me non peruenisse; quod cum accesserit, erit illi locus aut in Poetica silua Theatris, aut in Amoris Templo, uel in alijs libris, quos in prima parte sum pollicitus. Interea suscipite hæc æquis animis; Atque si qua prætermissa sunt, ea non incuria, non negligentia; sed ignorantione potius prætermissa esse arbitremini.



LXIII

CICCO LOFFREDAE TREVICI D. ILLUSTRIS.

AC HEROI ERUDITISSIMO.

IOAN. BAPT. RINALDVS. S. P. D.




LESCIO Princeps Illustrissime, quo fato tam male agitur cum litteratis hominibus nostræ tempestatis, ut eorum laboribus tam segniter, aut nihil à Primariis vixis faueatur. Latet me proflus, an Litteratorum malo accidat, an Principum negligentia, an vtrorumq; culpa, ut quæ res summo labore parantur, tam honestæ, tam viles, tam iucundæ æque ac turpia, inuutilia, et iniucunda opera iaceant, atq; ab omnibus respuantur. Aut epulæ male conditæ sunt: aut proceres gustu adeo laborant, ut suauitatem cibi non sentiant. Quidquid sit, dolendum quidè vtrorumq; causa, tum quod tot, tantiq; in optimis disciplinis suscepti labores tam facile, tam immerito pereant: tum quod Principes, quos magis in litteris versari decet, quàm cæteris in rebus, tam præclara ingeniorum monumenta non agnoscant. Misera quidem litterarum conditio, quædo tam infeliciter errant, exulantq; et quibus nullum adest perfugium, nulla alleuatio, nulla certa sedes, nullus patronus. Impurissimo cuiq; facilius aditus patet ad Principis aulam, quàm Musarum alumno: quodlibet ludicrum carius æstimatur, quàm eruditi viri elaborata de virtute oratio. Libenter et pluribus hæc apud te deploro Princeps Illustriss. apud quem solum (pace aliorum) perfugit Apollo cum Musis, Venerat is ante ex Parnaso patris tui nomine allectus Magni illius FERDINANDI, cuius ædes nihil nisi litteras, nihil nisi ingenuas artes redolebant. Dum enim is vixit, nullum præteribat diem sine doctorum hominum commercio, quos tantopere fouebat, et amplectebatur, et quorum sermonibus adeo delectabatur, ut etiam propria et serua post haberet negotia, qui et si erat sapientissimus (rerum enim omnium peritia, et eruditione nemini concedebat) senescebat tamè semper aliquid addiscens. Dicit non potest, quanta in illo viro comitas erat, quanta grauitas, quanta eruditio, quanta notitia antiquitatis, quàm esset in proponendis iis, quæ in disceprationem cadere possunt, acutus, quàm in diluendis eruditus. Is vbi in fata concesserat, fuit opinio magnam in litteris factam esse iacturam. Sed vir-

tus tua CICCE, quæ iam ob patris reuerentiam sua lumina contraxerat, post illius obitum adeo emicuit, adeo se extulit, adeo sui luminis radios diffudit, ut fa-
teantur omnes, Te non solum paternas virtutes adæquasse; sed longe superasse. Quid moror? Tantus es in doctorum hominum scriptis euoluendis; tantus in illis ipsis fouendis et amplectendis, ut verè non solum paternæ rei, sed etiam virtutis et gloriæ dignus hæres extiteris. Hinc effectum est, ut omnes quicumque in ingenis versamur artibus, vnice colamus, et obseruemus Te Mæcenatem munificentissimum, præcipuum nostrarum rerum præsidium, eximium literariæ Reip. patronum, in quo nostra studia sita sunt omnia. Hinc quoq; efficitur, ut si quid laborando extudimus; id ad te vnum deferendum putemus, qui nostros labores et prudenter pensitare, et benigne amplecti soles. His igitur de causis cum in manibus haberem alteram Academicorum nostrorum partem, quæ, ut nubilis filia patris desidiâ, me grauissime accusare videbatur, quod tandiu domi resideret, fas esse duxi, qualiscunque ea esset, typis sub tuis auspiciis excudendam committere. Nam qui in libris componendis multum opere consumpsere, eodem verò in apertum proferre negligunt, asimiles mihi videntur agricolis, qui in frugibus, et vitibus ferendis magnopere elaborarunt, cum verò messis, aut vindemia aduenit, nullos in villam conuectant fructus, sed quod in terram rursus decidant, paruipèdunt. Nec minus improbatur, si quis in vmbra se exercuit, nec parum sudauit, et alsit; cum verò Olympia consequi possit, domi otiosus sedet, nullaq; magnarum rerum gloria tægitur. Cõtinet hæc pars Castrensès Literariæ Reip. exercitationes, quam prima parte descripsimus. Sunt autem lectiones aliquot variis de rebus à nostris Academicis recitatæ, indignæ illæ quidẽ tuis eruditis auribus. Propterea pudet me tantum, et tam eruditum Principem tam leui denso munusculo prosequi. Vna me tamen spes fouet, exigua hanc nostræ erga Te obseruantia fauillam maiorem ignem esse aliquando parituram. Tu verò, qui humanitate, et animi magnitudine omnibus ætatis nostræ principibus antecellis, benignè, ut soles, accipe clientis tui pusillum hoc munusculum, quod

Tibi dat pro fortunæ reuinitate. Idq; pro tua auctoritate, et amplitudine æquo animo tueare, non enim vereor, quin sub tanti patroni scuto lucubrationes nostræ à præsentibus benignè accipiantur, et apud posteros perpetuò sint duraturæ. Vale literarum Mæcenæ munificentissimæ, et vrbis nostræ tutela firmissima.

APOL-

APOLLO
CVM IOAN. BAP. RINALDI
ACADEMIAM VISERET.
ACADEMICOS HIS VERBIS
ALLOCVTVS EST.



Ἀπολλῶν Literariæ Reip. milites magnanimi. En uester APOLLO inde usq; ex materna Delo huc ad uestra littora meorum uatum encomijs tam celebrata una cum Musis omnibus aduenio, ut uestris laboribus præfens numen impertiam meum. Neq; Sirenum scopulis nauigantium naufragijs infames formidauimus. Cõstat enim iam pridem Sirenes meis Musis in certamine illo tam claro succubuisse, cuius præclarissimæ uictoriæ testes sunt corollæ ex illarum pennis innexæ, quarum insignibus meæ Pierides tempora cinxere. Adsum igitur non solum pulcherrimum hunc Crateris sinum uisurus, nobilemq; Partenopen optimarum artium studijs; & illustrium uirorum factis celeberrimam, & cæli clementia, & soli ubertate longe cæteris omnibus antecellentem, sed ut propius uestris, & uocatus, & non uocatus aspirarem incoeptis, ut quod agitis, semper fauste, prospereq; uobis eueniat. Cumq; optimè apricos hosce Pansilypi colles perlustrassem, & quidquid à Miseno ad Minervæ promontorium conclusum hoc alluit mare, (Nam ex Cynthi, & ex Heliconis nemorosissimis iugis aduenientes, montium alta cacumina, aut saltem eorum præaltas rupes, in quibus sita èr purus, ac tenuis, incolere necesse est) duas mihi, Musisq; meis stationes elegi, & loci salubritate, & ædificiorum magnificentia, & alumnorum meorum gloria inclytas, in quarum altera hyemare, in altera æstiuare certum est. Neque enim Hippocrènes liquidos fontes, aut Parnasi uirides rupes per Barbarorum improbitatem uisere, nedum habitare amplius licet. Scire igitur uos uolo Lucullianas magnificas ædes FERDINANDI LOFFREDI Treuici reguli, & generis claritate, & illustriū factorum gloria clarissimi posthac fore mihi pro Lycia, ubi antea in hybernis esse cõsueui. Sunt hic colles aprici, nec desunt amoenissimæ rupes, quas iuxta dilectæ Theredi aues alas ad solis radios in littore pandunt. Adest incredibilis copia medicarum arborum parietes, collectq; uestientium cum aureis odoratisq; pomis. Hic cœlũ semper nitet, hic pubescunt semper arbores. Prope adstant & saluberrimi horti BERNARDINI ROTAE alumni & eruditione, & scribendi elegantia insignis; ad cuius uocem, lyraeq; concentum proxima littora, Pansilypiq; colles assidue resonant; & ubi sæpe cum AEgle illa Naiadum pulcherrima Musis dabitur colludendi facultas. Aestiuam pro Delo erunt mihi Vicana moles cum Romanorum superbis theatris omnium iudicio certantes. Eas extruxisse non ignoratis FERDINANDVM CARAFAM Sanctolucidentium Regulum præstantissimum permultis & suis, & regijs orna-

mentis amplissimū. Hic præter cætera artis opera magnifica patet nobilis ille specus, constructis fontibus, perennibus irriguū, aquis insignis, magnitudine, longitudine, & lumine, quo undique illustratur, cæteris omnibus, qui præcorum Regum maximis sumptibus excisi, aut extructi sunt, longè anteposendus. Hic amœni laurorum, myrtorumq̄, saltus: hic speluncarum altissimi recessus; hic frigidi fontes: hic feracium, & uariarum arborum pulcherrima pomaria, mollissimæq̄; auræ, quibus sitientis canicula ardore leuare licet, abunde suppetunt. Neque tantum me specularum, ædiumq̄; istarum magnificus delectat apparatus, quàm dominorum splendor, & gloria. Sunt enim litterariæ Reip. proceres amplissimi; mearumq̄; Musarum cultores celeberrimi, & uirtutum omnium antistes sapientissimi. Quamobrem Academici, qui huic urbi non mediocri estis ornamento, postquam uestrum Apollinem huc aduos accessisse nō ignoratis, pergite (ut facitis) in præclaris hęc omnium disciplinarum studijs. Neq̄; uos unquam ab incepto illud auocet, quod à plerisq̄; ea contemni, nulloq̄; ferè in numero apud imperitos Midas esse conspiciatis. Omnibus ætatibus ita factitatum est. Nam plures ab optimis artibus abhorruere, earumq̄; cultores tanquam insanos, & stultos sunt auersati. Pauci, quos æquus amauit Iuppiter. Qui hac in sententia sunt, eos credite Sirenum esse sectatores inertissimos, gulæ proceres, quid sibi opus sit, ignorant. Istos somnia agere existimate, ad quos, cum oculis, & auribus omnia tribuāt, humanarumq̄; rerum, ac uoluptatum illecebris tantum capiantur, nulla ueri, & boni cogitatio, nulla pertingit pulchri cognitio. Erant uobis instar omnium bonorum, ac sapientum uirorum duo isti Mæcenates amplissimi, animæ tales, quibus neq̄; cæcidiores, neq̄; meliores terra tulit. Non uidetis horum, & magnificas ædes, & benignas mentes nostris ælumnis semper patere? ab eisdemq̄; omnes litteratos uiros non solum dignis præmijs, sed etiā magnis honoribus affici? Adite uos crebrò, colite in primis, & obseruate summos istos proceres optimarum artium studijs inclytos, horum liberalitatis, & munificentia periculum facitè in uestris optatis. Nihil his humanius, nihil liberalius inueniri potest. Frequentes estote in magnificis talium heroum tectis, & hortis. Illic Napeas, Dryadas, Oreadesq̄; semper colludentes inuenietis: Illic Charites unā cum Venere choreas agentes, atq̄; purpureis in pratis, & floridis agris, & in umbrosis saltibus Floram, Pomonamq̄; semper spartiantes: Illic audietis dulcium auricularum luauissimos concentus qui fatigatas mentes exhilarant: Illic aquarum liquidi fontes dulcissimo murmure somnum conciliant: Illic purus aër, & tennis spiritus ad pulcherrima poemata, & cedro digna edenda alacriores reddit. Illic dominorum insignis liberalitas musarum alumnos benignissime, & sustentat, & ornat. Excurrite, & aliquando ad suauia Aegles myrteta, quæ suum ROTAM tanquam alterum Silentium ad magnas res canendas plerumq̄; excitat. Sed nollem uos Aëtij Sinceri Sannazarij, & Iouiani Pontani poëtarum uestrorum obliuio caperet, quorum alterum Mergellina, alterum Antiniana benigne complectitur. Accendat uos magnarum laudum gloria, qua nunc illi fruuntur, ut eiusdem uos quoq̄; participes esse ualeatis. Quod faciliè assequemini, si in poëticam facultatem summis uiribus incumbetis, animo semper fixum illud habentes, Poëtic en præcipuam fuisse, quæ homines ad uirtutem excitauit, dum eos animorum docuit immortalitatem, eandemq̄; agrestes homines è siluarū latebris, & ferino uicū ad politiorem cultum traduxisse, deniq̄; coegregatos in religione, ac pietate erudisse. Sint uobis exemplo clarissimi isti Proceres, qui in poëticis aut edendis, aut legendis assidui sunt, neq̄; alia in re libentius acquiescunt. Eia inuestigate mihi pulcherrima aliqua munuscula; innectite laureas aliquas corollas, quibus tantos principes honestare possitis. Quod si & apte, & libenter (ut spero) perfereritis, dono uos omnes, & nominis, & generis claritate, qua inter humana nihil est homini magis expetendum.

DE

DE POETICE, ET DE FABVLA

LECTIO PRIMA.

IOANNIS BONONIAE CAESARIS PATRICII
ORNATISS. F. MAGNAE SPEI ADOLESCENTIS.

Hunc, cum XXII. Annum ageret maximo omnium dolore
immatura mors rapuit.

MILITVM TRIB.



QVIDEM cum humana hæc contemlor; omniaq̄; nihil, nisi umbras, ac uelamina quædam nobis referre, hominesq̄; in hoc maximo uniuersi Theatro ueluti fabulas agere, subit statim recordatio Platonici illius speci animaduersione dignissimi, cognitione admirabilis, inuestigatione altissimi. Doctus enim ille uir Dei dono, ac munere ad erudiendos homines natus cum uera penitus latere cognosceret, hominesq̄; nihil nisi rerum uerarum umbras spectare, subterranæ quendam finxit specum, cuius ingressus longissimus aduersus lumen in antrum totus pateret, in eoq̄; homines à teneris eductos, ceruice, & cruribus aded deuinctos sedere, ut nullam in partem flecti possint; sed aduersa tantum spectare: à tergo uerò, ac longe igneam facem pendere; medio quoq̄; spatio quosdam immorari inter se loquentes uasa quædam attolles: tum hominum, uariarumq̄; belluarum lapidea, aut lignea simulacra, quarum rerum umbras tantum in aduersam speluncæ partem cadentes illi, qui sic deincti sunt, cernere possunt: neq̄; uocem ullam audire, nisi Echo ex aduersa carceris parte resonantem. Quid specum hunc tam uastum significare putabimus nisi uniuersum mundi huius complexum; quem intuemur? Nos quoq̄; esse illos homines ceruice, & manibus ad crura colligatos, qui nihil, nisi rerum umbras spectamus, & eorum, quæ uera sunt, imagines, ac ueluti spectra quædam. Vera enim sunt diuina illa in eodem semper stata permanentia: umbrarum uerò instar se habent humana hæc caduca, fluxa, & in horas se se mutantia. Et quid uincula illa esse arbitramur, nisi corpora hæc, quibus immortales animi conclusi perturbationum motionibus agitati, sensuumq̄; delationibus irretiti nihil, nisi quod sensus ipsi deferunt, inspicere ualent? Undè non immeritò Græci quidam philosophi corpora modò *σκιωτά*, modò *σφατά* hoc est uincula, & sepulchra appellauere. Quæ cum Satyricus ille animaduerneret, non potuit non clamare.

O' curas hominum, ò quantum est in rebus inane.

Idem & Sapientes uiri cum non ignorarent, non solum omnia naturæ arcana, & opera inuolucris, quibusdam obduxere, sed etiam humanas actiones fabularum uelamentis tegendas existimarunt. His propterea poëtarum appellatio data est. Qui cū optime intelligerent naturæ benignitate se in primis ualere, eiusq̄; diuino spiritu affari, & mentis uiribus excitari, tanquam fidissimi custodes illius mysteria explicare timentes uelis quibusdam omnia contexere, ne uulgi manibus attractata suum amitterent nitorem. Huius rei gratia iure nemo poëtas incusabit, quod eorum ars tota enigmatum plena conspiciatur. Naturæ aditimos dominae arcana referare nefas erat, cuius maiestate abdita, atq̄; abstracta sunt omnia. His igitur de causis, cum fabula poëtarum sit propria, & tanquam poëtices anima, sine qua nequit consistere, ut Apollinis mandatis pro uirili morem geram, de utraq̄; re, & de poëtice, & de fabula aliqua

(ut

(U. & potero) explicabo. Aspiret MARCELLI Filomarini, ut æquitum, ita poetarum omnium tempestatis nostræ eruditissimi singularis humanitas. Adsit & FABII Iordani, & legum, & carminum gloria præstantis summa eruditio. Sed faueat in primis CICCII Loffredi Principis clarissimi eximia uirtus, & doctrinæ maiestas. Aspirent quoque Academici doctissimi studiorum uestrorum auræ suauissimæ, ut ad optatum gloriæ portum, quem intueor, ualeam peruenire.

Quæ de Poetice explicatu digna existimo, sunt hæc: Poetices nomen, definitio, origo subiectum, officium, finis, & genera: quæ omnia breui oratione complecti studebo, ut fabulæ explanationis finis quoque detur locus. Arbitror iam apud omnes patere Poeticen unam esse ex septem illis artibus, quas Liberales appellant, & quas ita dictas uolunt, quod libero homine dignæ existant. Eam facultatem esse definiunt, quæ componendorum carminum regulas docet, & à faciendis uersibus ita dictam. *ποιησις*. n. apud Græcos facere significat. Unde & poetæ nomen deductum est: quæ uox carminum constructori potius conuenire uisâ est, quam alijs scriptoribus. Nam cum ex his quidam existant, qui rem neque augeant, neque minuant, quod historicorum munus est, alij, qui ex minori maiorem plerumque reddant, ut oratores, qui toti in amplificando positi esse uidentur, poeta solus per se facere, ac de nouo condere tanquam Deus aliquis uidetur, cum fingendi, & imitandi tantum munere fungatur. Tota enim poësis in imitatione posita est. Neq; solum ea, quæ sunt, representat, sed etiam nullo pacto existentia æque ac in rerum natura essent, uersibus explicat. Hæc in re cum pictor cum poeta contentat, iure apud Græcos utriusque *μαθησις*: uno uocabulo sunt appellati, quod & si apud Latinos non usurpatur: simul tamen plerumque apponi solent. Differre quidam uolunt Poeticen à Poësi, & à poemate; quod Poetice sit ars ipsa, Poësis iustum opus, Poema pusillum, quæ in sententia fuisse Plutarchum, uideo. Unde iuxta huiusmodi sententiâ Virg. *AENEIS*, & Homeri *ILIAS*, uel *ODYSSEA* Poësis essent. Poema uero quælibet Virg. *ECLOGA*, & Homeri *MARGITES*, cuius meminit Arist. aut *BATRACHOMYOMACHIA*. Sed hi longè meo iudicio falluntur, cum Poemâ opus ipsum dicendum sit, siue materia, quæ tractatur; neque appellationem mutat, siue magnum, siue sit paruum. Poësis uero formam illam, seu rationem indicet, quæ poemâ ipsum scriptum est, & quæ forma à poetice præscribitur, id est à scientia ipsâ, siue habitu, quo ad eiusmodi conformationem poeta dirigitur. Erit igitur *AENEIS* Poemâ: forma, quæ scripta est, Poësis, ars; quæ præcepta dat, Poetices huius minister, uel doctor poeta. Huius facultatis ortum Arist. ad naturam ipsam deferit, cum natura cuique insitum sit imitari, ex eaq; re magna affici uoluptate, quod & illud tritum omnium sermonis dictum confirmat, quo asserunt oratorem fieri, poetam nasci. Imitationem uero à natura esse testantur & pueri, qui in aliorum uocibus, actionibusq; imitandis libentissime uersantur, quæ de re memoria teneo Academicum nostrum in lectione sua de comœdia pluribus egisse. Sunt qui huius facultatis inuentionem PIERIO cuiusdam Macedonij tribuant, quæ ait cum primum poemâ quoddam edidisset, filijsq; canendum dedisset, Musarum patrem fuisse appellatum, & ex ea re Musas Pierides fuisse dictas. Neque desunt, qui asserant, Poeticen apud Pastores primum incepisse, naturaq; ducere ab eisdem inuentam, uel auicularum canentium imitatione, uel ex arborum sibilis. Quod à uerisimili non abhorret: sunt enim pastores otiosum genus. Quamobrem facile apud eos, & Musicen, & Poeticen nihil à Musice differentem incepisse licet existimare, cum sub arborum umbris, aut in antris proiecti, uel ad aquæ lene murmur suos amores uel soli, uel cum alijs canere consueuissent. Atq; inde pastorales cantus fluxisse primum censebimus, quibus cum aliqua per imitationem exprimerent, à specie seu imagine *ειδωλμα* appellare per modestiam maluerunt, tum *επιλογος*, quasi selecta quædam, & à uulgari consuetudine separata. Qui uero primi in Poëtice præstiterint apud

apud illud rude, & incultum sæculum, nihil certi habemus. Nisi quis forte Apollinem obiecent. At in altero constat Musæum, Linum, & in primis Orpheum floruisse, quæ uiant ex AEGYPTO in Græciam permulta ad Poëtices facultatem pertinètia inuexisse, plurimâq; de uocibus AEGYPTIJS scripta ad Græcos retulisse. Denique tertia ætate multum præstitisse legimus Homerum, Hesiodum, ceterosq; quorum poemata temporis iniurijs effugere. Floruit quoque huius pulcherrimæ facultatis studium apud Hebræos, quod diuini uatis hymni declarant. Sed maximè apud Græcos, à quibus magnis ornamentis exulta fuit. Romæ uero Cæs. Aug. temporibus, cum tot celebres extiteret poetæ. Eam tamen constat non ab initio urbis incepisse, & si Carmentem Euanthi matrem apud Latinos carminum componendorum rationem monstrasse dicant; Nam bello Punico secundo Poeticen Romam receptam fuisse scribit Gell. quod & Cicero confirmare uidetur, cum ait, Serius, & poeticam nos accepimus. Qui & si in Bruto de Romanis metninit uersus in conuiujs canentibus, ut Cato in Originibus scriptum reliquerat, non sibi repugnat. Is enim asseruit poëtices serò fuisse acceptam, non carmina; Non enim omnes uersus poëtici sunt, quales fortasse erant illi, qui à Salijs canebantur, qui licet ante Liuium extiteret, qui primus fabulam dedit; non propterea Poësim ante illum in urbem introductam fuisse censendum est. Sed uenio ad id, in quo facultas ipsa uersatur, subiectum uulgò appellant, siue materiam: postea ei⁹ officij, ac finis persequar. Eius igitur subiectum uidetur esse ficta, seu fabulosa oratio, Nam quinque facultates esse constat, quæ circa orationem uersantur, præter Grammaticen, Sunt autem Demonstratiua, Dialectice, Rhetorice, Sophistice, & Poëtice. Ex quibus demonstratiua ueram, Dialectice probabilem, Rhetorice ornata, seu suasiuam, Sophistice apparentem, Poëtice fabulosam sequitur orationem. Eiusdem officium est imitari hominum actiones: Finis uero per imitationem delectare, cum utilitate, uel trahere in admirationem. Introducta in urbes Poësis uidetur, ut diuinitatis laboribus defessi aliqua animi uoluptate reficerentur. Ideo primum solis spectaculis deferuebat: postea ipsa poemata libris mandata in priuata commoda transferunt. Debet igitur poeta prodesse, ut placeat senioribus; delectare, ut placeat iunioribus; omnes uero in admirationem trahere. Quibus ex rebus quoque efficitur, ut magna sit huius facultatis utilitas; studet enim bonus poeta non solum iucunda, sed etiam idonea dicere uita. Is modò ad uirtutes hortatur, dum præstantis alicuius uiri laudes prosequitur; modò à uitijs deterret, dum impiorum narrat scelera, & supplicia: modò minuit hominum audaciam, temeritatemq; terribilia, ac periculosa recensendo: modò auditorum mentes ad pietatem inflectit, miseratione digna prosequendo: modò in diuino cultu animos instruit, Deorum laudes canendo, eosdèq; in prauis actionibus abstrahit, inferorum pœnas docendo. Sed huius diuinæ facultatis laudes, & partes persequi alterius hoc opus erit, propterea ad eius genera, & species descendendo, quæ in hac re mihi dicenda supersunt. Tria esse Poëtices genera omnes censeant, siue formas, quib⁹ quod ad scribendi rationem pertinet, explicatur. Vnū est in narratione positum, *διηγηματικόν* Græci appellat, Narratiuū Latini, quale est Lucretij poema. Alterū in collocationibus uersatur *σπουδατικόν* Græci dicunt; Imitatiuū quidam appellat, quo in genere Comœdiæ, Tragediæ, & Eclogæ sunt. Tertiū est Mixtū *μικτόν* à Græcis dicitur, in quo poeta loquitur, & alij introducuntur. Talis est Homeri *ILIAS*, & Virgilij *AENEIS*. Hæc tria genera innuit Plato asserens Poësim aut esse per enuntiationem, aut per imitationem, aut per utrunq;. Differre quoq; poemata tribus modis Arist. asserit, aut cum per ea, quæ genere diuersa sunt, imitantur, uel cum res diuersas, uel diuerso modo, quæ discrimina tribus uocibus notari possunt: Quæ, quibus, Quomodo. Quæ subiectum, quibus uersus, Quomodo stylum denotant. Eadem Medea est apud Ouidium, quæ apud Senecam; at diuersis carminibus scripta. *AENEIS*, & *BACOLICE* iisdem uersibus explicantur; sed res, & stylus differunt. Adhuc Aristoteles asserit quatuor esse Poëseos

genera. Epopœiam, Tragœdiam, Comœdiam, & Dithyrambicam. Epopœia est, quæ in Heroum præclaris gestis narrandis uersatur. Tragœdia imitatur actiones illustres infelici exitu illas, ut plurimum terminans. Comœdia populares imitatur actiones, exituq; felici concluditur. Differunt Tragœdia, & Comœdia inter se: quod hæc humiles imitatur personas, illa præstantiores, in altera sermo est popularis, in altera oratio grauis, & culta. Dithyrambice est ea poetica pars, qua ueteres usi sunt in Bacchi laudibus canendis, qui *διθύραμβος* dictus est, quod bis natus esset, è Semele femore, & ex Iouis gremio. Hanc tanti fecisse uidetur Plato, ut, cum ex sua Rep. poetas excluderet solos dithyrambicos retinendos censuerit. Ex hac poetices parte fluxisse putabimus Hymnographiam, Lyrica, Epinicia, Pæanes, Hymenæos, permultaq; carminum genera, quæ Rinaldus in Apollinis familia pluribus profecutus est. Quamobrem tempus admonet, ut me ad fabulam conuertam, de qua in altera lectionis meæ parte dicere iam pollicitus. De qua (ut inceptū ordinē seruē) nomen, definitionem, differentias, uarietatem, finem, & unitatem inuestigabo. Nolo uos propositarum rerum multitudine deterreat, multa hæc breuitas, quæ plurima rescat, pauca efficiet. Fabulæ igitur appellatio à fando, uel *ἀπό τῆς φωνῆς*. i. à fama deducta uidetur, quod nihil aliud, nisi uerba & inania quædam, & uulgata, quæ hominum sermone trita sunt, contineat. Vnde sæpe pro populari sermone sumitur, & pro re passim uulgata. Sic inquit Hor. Heu me per urbem, nam piget tanti mali, fabula quanta fui, & alibi. Quid rides? mutato nomine de te fabula narratur. Et Iuuenalis. It noua, nec tristis per cunctas fabula cœnas Sumitur interdum pro narratione delectationis causa inuenta, eaq; neque est rerum uerarum, neq; uerisimilium. ut cum fabulantur poëtæ Daphnem in laurum esse mutatā aut Syringa in Arundinem. Differt hæc ab Apologo tanquam genus à specie. Nam Apologus fabula est de brutis colloquentibus efficta; uel de hominibus cum brutis sub uelamine ridiculæ alicuius narrationis; quæ tamen recondit aliquid ad uitam, & ad mores pertinens: igitur in genere plurimum præstitit AEsopus, & ante ipsum Hesiodus. Dicitur uidetur Apologus quasi *ἀπό τῆς λόγου λόγου*, quod. i. aliud dicit, aliud significat. Adhuc sciendum apologorum duas esse species, quarum una simplex est ex rebus naturalibus sumpta, quasi ab historijs, neq; solum animatis, sed etiam inanimatis, quæ loquentes introducuntur: duplex altera sine operosior, quippe quæ opertum sensum apertis notis contineat. quò in genere sunt AEni. (ut arbitror) quæ sunt quasi picturæ quædam, & imagines rerum. Vnde à quibusdam allegoriæ interdum appellari solent, quod aliud aperte dicunt, aliud ex eo innuunt, ac profitentur. Hesiodus primus AEno appellauit, AEsopus *μυθον*. Differt tamen ab apologo AEnus, quod hæc fit uirorum causa: non enim habetur ad pueros, neq; tantum delectationis gratia, cum habeat admonitionem, conatur enim clam docere, & adhortari. Fabulæ quæq; appellatione continentur argumeta comœdiarum & Tragœdiarum, quælibet denique poetica fictio. propterea eam definiunt fictam esse narrationem, quæ ueras non continet narrationes & si interdum uerisimiles esse possunt. Fabulas inuentas fuisse constat, uel ad Deorum merum hominibus incutiendum, uel ad uirtutes demonstrandas, uel ad naturæ opera explicanda, uel ad fortunæ temeritatem indicandā. Nam quæ de Tantalò, de Phlegia, de Tytio, de Ixione, de Athamante, de Pentheo, de Lycaone efficta sunt, deq; eorum poenis, ad deterrendos homines à sceleribus pertinent, qui à prauis actionibus desistere minime solent, nisi formidine poenæ. Quæ uerò de Hercule, de Castore, de Pollice, de Perseo, deniq; de Elysij campis excogitata sunt, ea ad uirtutes adhortantur solent enim aliqui præmij allici ad optima, & præclara peragenda. At quæ de Saturno, deque eius patre Cœlio, de Titanibus, de Cyclopibus, de Venere ex spuma maris orta, ad naturalem philosophiam spectant. Nam Apollinem Admeri armenta pauisse etiam ad fortunæ inconstantiam referri potest. Primi effingendarum fabularum auctores fuisse uidentur Hesiodus, qui de rerum ortu multa

com-

commentus est AEsopus apologorum ingeniosissimus artifex, & ante hos Orpheus, Linus, Musæus, Mercurius. Denique Homerus ingeniorum fons, & fabularum inuentor acutissimus, Quorum omnium, & aliorum figmenta Ouidius in opus illud præclarum Metamorphoseon nõ minus erudite, quàm uenuste collegit. Quod uerò ad uarietatem pertinet, fabulas inuenio uel ab ijs, in quibus inuentæ sunt, appellationes accepisse, ut AEsopica, Hesiodica, Homericæ, uel à locis ubi inuentæ, uel tractatæ sunt, ut Cypriæ, Ciliciæ, Sybariticæ, Atellanæ; uel ab argumentorū qualitate, ut Palliadæ, Togatæ, Tabernariæ, Planipedes, quæ sunt propriæ comœdiarū differentia. Adhuc aliæ politica, aliæ morales, aliæ rationales, aliæ mixtæ dictæ sunt. Omnibus tamen fabulis, fabularumq; inuentoribus illud propositum fuisse censendum est, homines quàm optimos efficere, & cum delectatione prodesse. Sed iam his excussis, uocat me fabulæ unitatis postremus labor. Sciendum igitur tria esse, quæ præcipue in fabula requiruntur, ut sit una, ut immutabilis, ut iustā habeat magnitudinem. inquit enim Arist. Quemadmodum una unius imitatio est in alijs imitatricibus artibus, ita & fabulam, ut quæ actionis imitatio sit, unius, eiusdemq; integræ esse, & sic rerum inter se partes coherere, ut ne ulla quidem uel transferri, uel subtrahi queat, quin totum illud uarietur, planeq; immutetur; Fabulam igitur unam esse statuemus, non eam, quæ circa unā personam uersatur: sed quæ circa unam unius personæ actionem, cuius rei ea ratio est: Nam ab una persona plures, diuersæq; inter se actiones possunt proficisci, quæ quia propter dissimilitudinem, quam habent, coherere simul non possunt, unam simplicemq; fabulam non constituunt. Vnde reprehendit Arist. quosdam prisicos poetas, qui Heracleida, & Theseida scripsere, quibus in poematibus omnes res gestas Herculis, & Thesei complexi sunt; quæ cum diuiserent, simul iungi non poterant. Ut enim permulta contingūt in uita, adeoq; inter se dissidentia, ut ex ijs nullam confici possit unū, simplexq; corpus: ita permultæ alicuius uiri actiones existere possunt, ex quibus nullo pacto una, simplexq; actio confici potest. Sed scire oportet unum bifariam sumi, uel cum per se solum est aliquid, ac à cæteris separatum, aut cum compositum est ex pluribus, sed unum confectum est, cuiusmodi ea sunt, quæ ex pluribus commiscuntur. pro modo fabula non dici potest una: quia si ex una, simpliciq; actione constaret, nimium breuis esset, & concisa, neq; magnitudinem haberet. Quare altero modo dicitur una, id est ex pluribus actionibus composita, sed ad eundem finem tendentibus; atq; ita inter se consentientibus, ut una ex pluribus fiat. Ita Iliada inscripsit Homerus suum poema, cuius unitas est, non ab una persona, sed ab uno bello, in quo plures illustres uiri sibi gloriam comparauerunt. Hanc fabulæ unitatem tanti faciendam esse censuit Horatius, ut monstro assimile illud poema censuerit, cuius partes ad unum caput non reddantur. Decet enim poëtam naturæ opera imitari: Nam ut ex ijs quædam sunt, quæ miserari possunt, & in unum corpus redigi, quædam uerò aded dissident, ut nulla ratione copulari possint: ita cum in humanis actionibus aliæ sint, quæ coniungi nullo pacto possunt, eas poëta ex opere suo reijciat, ne serpentes auibus geminentur, tigribus agni, cumq; aliæ sint, quæ facile coherant, ex ijs suam conficiet fabulā. Neq; aliquē moueat, quod Virg. initio sui præclari operis duo proponere uidetur indicans se arma, uirūq; canere, non enim duo proponit, sed unum, describit enim uirum que ndam, cui & nauigare, & bella gerere contigit, quod nihil est aliud nisi terra, mariq; multis ærumnis premi, ac fatigari. Atq; ut decet fabulam esse unam, ita oportet immutabilem quoq; existere, quo ad præcipuam actionem, nam quod ad Episodia pertinet, nihil prohibet mutari posse. Immutabile in poemate est præcipua actio, quæ ut recepta est, ab alijs mutari non potest, ut quæ de Ulysse scribit Homerus, & de Aenea Virg. De qua re ita inquit Horat.

Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge.

N z Muta-

Mutabilia sunt Epifodia, quæ ex poetarum arbitrio mutari possunt. Atque hæc sunt, quæ discrimen inter poetas faciunt, qui diuersa poemata de eadem re conscribere pot sunt. Vt Oedipodis fabula tractata fuit à Sophocle primum deinde à Seneca. discrimen est non actionis causa: sed ratione Epifodiorum; quæ diuersa appofita sunt ab utroque. Decet quoque fabulam congruenti magnitudine constare; propterea non nimium longè repetenda est; Doctus enim poeta non gemino bellum Troianum orditur ab ovo: nec Diomedis reditum ab interitu Meleagri, & ut incipiendi, sic et desinendi modus quaerendus est. Decet enim (inquit Arist.) contextas fabulas minime temere undelibet initium sumere, nec item temere ubilibet terminari. Quamobrem ut in animantibus moderatam magnitudinem inesse decet, quam probe oculis spectemus, ita in fabulis longitudo inerit, quam quidem facile memoria complectamur. Hinc facile perspicitur potest, quanto in errore uersentur illi, qui existimant Aeneidos poema non xii. libro terminari, Virgiliumque, si non obiisset, plures libros fuisse scripturum, non animaduertentes poetam xii. illis libris absoluisse quæcumque in propositione pollicitus erat. Sed nemini dubium esse debet aliam Epopœiam, aliam Tragœdiam, & Comœdiam magnitudinem tribui debere. Longius poema Epopœia est, cum multorum annorum actiones complectatur, quam Tragœdia, quæ unius diei actionem continet. Sed de hac re, & de alijs ad fabulæ præcepta pertinentibus scio aliàs academicum nostrum pluribus egisse, cum Comica præcepta recenseret. Et quoniam de Epopœia mox alii ex uobis scio esse tractaturum, præstabit dum de fabulæ magnitudine, ac modo uerba facio, modeste limites non transire. Nihil enim magis dedecet, quam in eo aberrare, cuius ipse regulas profiteris. Finem igitur dicendi facio, & à nobis magnopere peto, & quaeso, ut quæ de poetice, & de fabula dixi in bonam accipiatis partem: Nam præsidem nostrum omnia in optimam partem accepisse, recte scio.

DE EPOPOEIA, ET DE

EPISODIIS. LECTIO II.

IOAN. BAP. CARACCIOLI CILENTIAB. D. LIBERALITATE, ET MORVM SVAVITATE PRAESTANTISS.

LEGATVS.



ARBITROR doctissimi Academici, uos illud Iulij Chresini factum non ignorare, cum is à nicinis ad Senatum delatus, quod eorum segetes pelliceret, ne damnationi ignominieque obnoxius fieret, ad forum ligones, graues rastros, ceteraque rustica ferramenta detulit, quibus agellum suum excolere solebat, simul & ualidam filiam, saturosque boues laborum socios: cumque Senatui dixisset illa sua esse ueneficia, quorum uirtute tot fructus ex agro suo perciperet, illud se agere addidit, quod sudores, laboresque assiduos illuc afferre non potuisset, quibus toto anno in opere faciundo frangeretur. Quibus de causis non solum nulla sententia uiolatus: sed magnopere commendatus fuisse dicitur. Huius tam præclari agricolæ exemplo ipse admonitus, ne forte negligentia, aut inertia, quæ animorum ueneficia, ac corruptelæ maximè existunt, poenas aliquando penderet; huc hodie cum laboribus, uigiliisque afferre non possem, ligones tamen, tanquam laborum meorum in indicia quædam asportare uolui, quibus in poetice facultatis agris colendis sudando, algendo, multa; assidue tolerando usus sum. Eiusmodi armorum aspectu esse me affecurum spero, ut non solum meam solertiam uestris sententijs sitis comprobaturi: sed etiam magnis

magnis laudibus, & dignis gloria præmijs profecturi. Ita enim Romanorum ueteri lege sancitum fuisse constat, ut ignaui agricolæ quotannis inertiae suæ poenas luerent, solertes uero laborum suorum præmia referrent. At ipse eò maiora me à uobis accepturum spero, pulchriorique laurea donandum, quod difficilius in re diutius laborani. Non enim ignoratis, qui in eadem arte uersari assidue soletis, magnam rem, atque arduam esse hanc poetice facultatis culturam: unde effectum esse scimus, ut & rarissimos cultores laude dignos habuerit, & eos, qui in ea excolenda præstitere, maximis honoribus affecerit. Possent hæc clarissimis illustrare exemplis, nisi hoc uobis ad eò perspicuum esse scirem, ut nihil magis perspicuum esse possit. Sed efferre oportet ferramenta mea ex Apollinis iussu, ut in his poetice agris excolendis nemo mihi sequitiam, uel inertiam exprobrare possit. Extulit permulta Academicus noster ad fabulæ compositionem pertinentias, ipse uero, quoniam nihil est, quod fabulam maxime augeat, ornentque, quam Epifodia, idcirco de ijs dicere aggrediar: sed non antequam aliqua de Epopœia, ad quam præcipue spectant, breuiter explicaro.

Quatuor Poeticæ partes existere, iam supra ostendit noster Academicus, & inter eas præcipuum locum Epopœiam obtinere, de qua nunc aliqua mihi dicenda esse sentio, antequam ad Epifodia, quæ fabulam exornant, deueniam. Est igitur Epopœia grande seu heroicum poema, quo uirorum fortium gesta narrantur, ita dicta ab ἔπος, & ποίησις, quod illius carminis conformatio sit, quod ἔπος siue Epicum appellatur. Vnde Cicero ad Q. Fratrem. Habeo (inquit) absolutum suauis, ut mihi uideatur, ἔπος ad Cæsarem, intelligebat enim opus ex ametri uersibus confectum. Inde poetæ, qui heroica canunt, Epici dicti fuere. Epos proprie uerbum significat, uel dictionem, ita dictum uidetur ὅτι ἐπονται τὰ πράγματα τοῖς χηρμαῖσι, hoc est, quod res sequantur respo- sa, uel uerba. Sed interdum pro Heroico poemate sumitur per Antonomasiam. Nam ut orationis uox etsi omni locutioni conuenit: eloquentia tamen eam iure suo sibi uendicauit. Vnde concinna, & perpolitata elocutio per antonomasiam oratio appellatur, ita Epos, id est dictio, & si omnium locutioni commune est, tamen solis heroicis datum est. Hinc arbitror ab Horatio propterea forte Epos fuisse appellatum, uel quod eo fortium uirorum gesta exponantur, uel quod alijs uirtute præstet. Adhuc ut dictio horum propria existit, ita & dicere apud poetas de rebus magnis usurpari solet. Vnde Hor. ad Mæcenatem.

Prima dicte mihi summa dicende carmen.

O mihi tam longe maneat pars ultima uite

Spiritus, & quantum sat erit tua dicere facta, &

Dicam horrida bella,

Dicam acies, actosque animis infunera reges.

Et Virg.

Ita & Hom. Odyssæam exorsus est. ἀνδρα μοι ἔννεπε Μόρσα. i. Dic mihi Musa uirum. Et si in humili re apud Virgilium hanc uocem usurparam licet inuenire, ut ibi. Cui non dictus Hylas? & Deductum dicere carmen, & Damonis musam dicemus, & Alphæsi bæ. Epopœiam Arist. διηγηματικὴν id est, narratiuam appellat, tum quia in ea poeta ipse narrat, tum quia alios narrantes facit, cui & præcipuum locum inter poetice partes assignauit: uel quia magnam admirationem parit: uel quia magnorum ductum gesta continet: uel quia caput est omnium poematum Epopœia. Quamobrem non immerito Horatius cum quatuor poetice partes complecti uellet eo monstro, quod in poetices initio effinxit, humano capiti Epopœiam comparauit. Neque enim aliam ob causam monstrum illud formasse arbitror capite humano, ceruice equina, uarijs plumis, caudaque piscis insigne, nisi ut has quatuor poetice formas innueret,

quas si quis poeta commiseret, nemini dubium est, quin monstrum pareret. Homini enim caput animantium omnium principis Epopœiam ipsam poematum reginam uidetur referre. Equina ceruix (cum equus alioqui generosum animal, & homini familiarissimum sit) tragœdiam significat, quod poema Epico proximū locū, & styli grauitate, & rerum pondere, & personarum dignitate occupauit. Variæ plumæ dithyræ bica uarijs carminum generibus constantia referunt, Piscis cauda comœdiam ob rei, & personarum humilitatem indicat. Epopœiæ præstantiam monstrat, & carminis genus, quod tanquam proprium sibi assumpsit: Neque enim alio carminum genere utitur Epopœia, nisi hæxametro, quod Plutarchus, cum grauiori materiæ accommodatum uideret, *τριστάσιον*, id est perfectissimum appellauit; & quod ob poëseos longitudinem Ennius longum dixit, Horatius promissum: cæteri Heroicum, cum eo magnorum ducum facta explicentur: & à pedum numero Hexametrum, & à præcipuo pede Dactylicum, & de auctoris nomine Pythicum, & Homericum, quod ab eo in usu positum fuit, ut testatur Horatius cum inquit.

*Res gestæ regumq̄, ducumq̄, & tristia bella,
Quoscribi possent numero, monstrauit Homerus.*

Constat apud Hebræos hoc genus carminis in usu fuisse, cuius cum Mosen reperto rem facerent, Mosaicum appellauerunt. Epicum asserit Ethymologicus dictum quoque fuisse *ἐπι τοῦ βέλτε τοῦ πρώτου ἑπεύου*, id est, quod posteriora sequantur prima: quasi à cōtinuato rerum, & carminum contextu appellationem habuerit. Cur uerò id genus carminis Epopœiæ datum sit, tribus rationibus confirmari potest, quarum primam experientia sibi uendicat, quæ monstrasse uidetur hoc carminis genus cōtinuatis materijs aptum esse, experientia enim duce didicerunt homines, cum diuersa metrorum genera diuersis poematibus accommodarent, non alio metro concinnius, quam Hexametro Heroum res gestas committi posse. Quamobrem si quis heroicis gestis canendis Iambicum, aut Trimeterum, aut Elegū, uel aliud carminis genus adhiberet, ineptè ageret, præterq̄, prudentium omnium obseruationes. Conuenit enim Iambum humili orationi, Throchæum saltationibus, cum sit uersatile, & uelox, omnium uerò grauissimū, ac stabilissimū Heroicum est, quæ res ad alteram rationem pertinet, quæ ex grauitate oritur. Tertia est, quod nullum metri genus magis recipit linguarum uarietate qua usus est Homerus, ut tota Græcia ex suis carminibus uoluptate aliqua afficeretur. Sed hæc res in Græcis ualet potius, quam in Latinis. Recipit quoque & translationes, quæ cum plurimum ornamenti orationi addant, Heroico poemati maxime conueniunt. grande enim quiddam resonant, & à uulgaribus alienæ magnam carmini dignitatem præstant. Quamobrem longum contextum alio præterquam Heroico metro rite panget nemo, cum nimirum id conuenire natura ipsa doceat.

Tria præterea recenset Aristoteles commoda, ornamentaq̄; Heroici poematis, quorum primum ad eius præstantiam pertinet, cum sit dignitate quadam admirabili præditum decore, & maiestate. Alterum ad uarietatem spectat, in credibili enim rerū copia, qua referuntur, satietatem, ac fastidium tollit, semperq̄; nouitate aliqua audientium suæ legentium animos recreat. Tertium ad Episodia refertur, pluribus enim uarijsq̄; uti potest Episodijs, quibus poema crescit, & amplificationem suscipit, qua in re à cæteris differt poematum generibus, & præcipue à Tragœdia, quæ cum breue sit poema, quod unius diei periodo absolui oportet, pluribus episodijs uti non potest. Et si nõ hac in re tantū à Tragœdia differt Epopœia, sed etiã quod diuerso carminum genere utitur, tum quia admirationem sibi propositam habet, Tragœdia horrorem, & interdum commiserationem, & ut altera uirtutum splendore perficitur: sic altera atrocitate gaudet, conueniunt tamen, tum quia utraque circa grandiloquū dicēdi genus uersa.

uersatur, tum quia uerborum ornatum, & sententiarum recipit, & si non semper graues sententias sed concinnas Epopœia admittit, neq̄; noua fingit argumenta, sed famã sequitur. Illud quoq̄; commune habent. Nam unam simplicemq̄; actionem recipiunt animati corporis instar, quod ubi ex omni parte integrum est, partiumq̄; decenti symmetria præditum, pulchritudine, ac perfectione spectatores afficit. Intercedit & illa communitas, quod utraque præstantiores imitatur, tum quod formas easdem habere potest. Nam cum ex Tragœdijs alia simplex sit, quæ ex Peripetia tantum constat, alia implicita quæ ex Peripetia & Agnitione, Præterea cum alia morata, alia pathetica sit, hæc omnes formas, siue qualitates Epopœia habere potest. Continet enim, & peripetiam, & agnitionem, & mores, & perturbationem. Est Peripetia eorum, quæ aguntur in contrarium mutatio. Agnitio est ex ignoratione in notitiam, & in amicitiam, uel in odium progressus. Atq̄; hæc fit uel per naturalia signa, uel per aduentitia, uel alijs modis. In aliquot fabulis est peripetia tantum, ut in Antigone Sophoclis. In aliquot Agnitio tantum, ut in Iphigenia Euripidis in Taurica, In quibusdam utraq̄; ut in Oedipo Tyranno Sophoclis.

Epopœiæ igitur forma, & simplex esse potest, & implexa. priorem Homerus in Iliade expressit, nullam enim Agnitionem continet, sed tantum Peripetiam. Fit enim mutatio ex felici statu in calamitatem. Est præterea & pathetica, cum permulta uulnera, cædes, certamina, bellaq̄; cæterofq̄; fortunæ casus & incommoda cōtineat. Posterior forma clarissime in Odysee explicata est, in qua præter hæc inest & Agnitio: agnoscitur enim Vlysses & à Thelemacho, & à cane, & ab Euryclea nutrice, deniq̄; à Penelope, & à Laerte patre. Mirum quantum gratiæ, & uenustatis Agnitio afferat poemati. Atque quantum Tragœdia quæ Peripetiam habet, & Agnitionem cæteris Agnitione carentibus præstat: ita & Epicum poema præstantius eo censendum est, quod nullam habet Agnitionem, cum hæc maxima uoluptate, & admiratione animos audientium perfundat. Præstat quoque poema poemati, cum magis moratum est, hoc est, cum aptius concinniusq̄; hominum mores explicat, & cum animi affectiones magis mouet, quæ *πάθος* à Græcis appellantur. Vnde & pathetica oratio nomen habet, quæ eiusmodi affectiones concitat: quibus in rebus Homerus, & Virgilius omnium iudicio primas obtinent. Ex his patere arbitror, quibus in rebus Epopœia cum Tragœdia conueniat. Nunc uerò neq̄; prætermittendum uidetur, quid habeat cum historia commune, cum ea sit tanquam historica quædam narratio; et quid differat. Illud habent commune, quod utraq̄; proponit, narrat, conciones, exornationesq̄; adhibet, differunt tamen quod historia res narrat, ut gestæ sunt. Epopœia uerò, ut geri potuerit, cum hæc uniuersale respiciat, illa, quod particulare est. Præterea historia uel est de toto orbe, uel de sola orbis parte, uel de uno uiro, uel de una illius actione, uel pluribus, Epopœia uerò unã tantum continet actionem. Differunt quoque ordinis gratia, cum historia fortuitum ordinem in narrandis rebus sectetur, ac disunctum, prout res seperatæ sunt, atque disunctæ. Epopœia uerò connexam seriem persequatur, atque propter affinitatem actionum ex multis unam constituat, ut perspicere licet in Homeri Iliade, & in Odysee, tum in Virgilij Aeneide. Diuersæ autem res, & actiones dicuntur in historia, aut quæ à diuersis hominibus, & populis diuersis in locis actæ sunt, & si eodem tempore, aut quæ ab iisdem hominibus, & populis alia post alias, sed non eundem finem spectantes. Per multa de hac re scio ab Academicis nostris dicta fuisse cum de historia tractauerit, idcirco non fas esse duco in ea diutius immorari. Est quoq̄; & illud discrimen inter Epopœiam & historiam, quod unum quoddam præcipue requirit historia. Veritatem scilicet, at Epopœia multis nititur præceptis. Est enim illud præcipuum, quod Academicus noster iam abunde explicauit paulo antè, ut unam contineat actionem, eamq̄; perfecte expolitam, infelix enim poema illud est, in quo aliqua pars suis

ornamentis caret, oportet quoque in Epopœia aliqua referri à poëta persona, cum occurrant, aliqua uerò per aliam enunciari, & in opportunum tempus differri. Decet præterea esse in ea æqualem dicendi tenorem, licet pro rei uarietate sermo sit uariandus. Aptanda sunt quoque uerba, & carmina rebus, quæ tractantur. In proponendo non affectandum est turgidum principum: neque narratio à remotissimis petenda; quibus, in rebus Homerus & Virg. optima suggerunt exempla. Rapiendus est auditor in medias res omissis ijs, quæ subintelligi possunt, & quæ cum splendore tractari nequeunt. Pulchrè mentiendum; sed ita, ut fallà, & uerâ cohæreant. cuiusq; ætatis mores rectè describendi sunt, ut cuiq; suæ dentur partes. Famam sequi oportet, aut sibi conuenientia fingere. Cauendum in primis, ne res prodigialiter uarietur: ne nimum a trollatur oratio, ne nimum serpat humi, neq; styli grauitas in humilitatem desinat. Quæ omnia præcepta, & cætera ab Horatio, in sua poetice collecta accurate seruanda sunt; sed nullius rei maior cura habenda est, quam Epilodiorum, quæ fabulæ conuenire debent & suis in locis collocari, ne illud Horatianum obijci possit. Sed nunc non erat his locus. Est autem Epilodium (ut ad id quod postremo loco proposueram aliquando descendendam *παρὰ τὴν ἀναρχίαν παράγουσα*; hoc est quicquid extra rem tractatur, modò cū re coniunctum sit. Adhibetur ad augeudam fabulam, & ad ornandum, atq; amplificandum poëma, haud secus ac loci communes assumuntur ab oratoribus, ut suas augeant orationes. Epilodiorum gratia Epopœia cælo comparatur. Ut enim cælum plures orbés admirabili ordine coherentes continet, qui in se circumuoluuntur, ac redeunt; ita Epopœia ex pluribus constat Epilodijs, quæ mutuo inter se connexa, & quasi in se currentia unum quoddam constituunt. Neq; absolutum poëma aliquod esse potest, nisi, cum eius partes inter se bene consentiant, quod tunc fit, cum Epilodia, quibus totum opus absoluitur, decenter connexa fuerint. Ut enim humanum corpus habet ossa quibus sustentatur, neruos, à quibus artus continentur, carnem, quæ ossium cauitates, & interualla complect, refertuntq; & præter hæc pellem, qua corpus ipsum non solum tegitur, sed etiam ornatur; denique animam, qua huc, illuc mouetur; sic & poëma, quod instar humani corporis se habet, Fabulam continet, cui tota compositio innititur. Dispositionem, qua cunnebitur: Epilodia, quæ poëma ipsum augent, amplificantq;: tum stylum; & carminis genus quo ornatur; imitationem; denique qua uiuit, nam quod melius hominum mores imitatur, diuturniori fruitur uita. Epilodia ex Aristotelis sententia reducuntur uel ad *ἀναρπυττόμυθα*, uel ad *ἐπαγγελίαν*. In priori ordine sunt ea, quæ ab ipso poëta narratur; in posteriori quæ ab alia persona introducta enunciantur, quemadmodum ea sunt, quæ ab Vlyse in Alcinoi conuiuio narrari fingit Homerus, & quæ ab Aenea in Didonis apparatu finxit Virg. Est in Epopœia quiddam innatum, ac peculiare, unde longius ipsius magnitudo excrescit: Neque enim ex aliquo extrinsecus assumpto, sed ex se ipsa augetur: Nam si quid extraneum in ipsa referretur, proculdubio formam illam amitteret, qua prædita esse debet, id uerò assequi Tragedia non potest, quandoquidem hæc plura in se non habet, unde produci, & augeri possit, neque enim plura simul facta imitari potest, quæ simul eodem tempore in diuersis fiant locis. At Epopœia, cum longam habeat narrationem aut ipsius poëta, aut aliorum, multa complectitur, & ab una re in aliam se transferre potest. Hinc etiam efficitur, ut propter multarum rerum uarietatem quæ inest in Epopœia, hoc ematis genus uti possit pluribus, ac dissimilibus Epilodijs. Id quod in Tragedia fieri non potest, in qua cum tota constitutio absoluta sit periodo unius diei, eam unico Epilodio contentam esse oportet. Neque longioribus Epilodijs rem tragicam licet amplificare, quia longe repeti non possunt, sed ea è proximis rebus sumenda sunt, quæ ad ipsius actionis finem spectant.

Complura sunt Epilodia apud Homerum, ut de Calypso, de Circe, de Polyphemino,

mo, de Telemacho, de Menelao, de Alcinoi hortis, de procijs Penelopës, quauis uerò ut in omnibus alijs rebus diuinus poëta admirabilis est, sibi que palmam assumpsit, cui quicquid ad Epicum carnem optime scribendum spectat, id ipse primus demonstravit. Præcipue Aristoteles Epicum poëtam pauca debere dicere ex persona sua, quod in eo imitator non sit, reprehenditq; uates illos, qui mutuum operæ potuisse uidentur in narrationibus in sua per se explicatis, & qui paucis in locis loquentes personas intruduxere. Nam quatenus poëta narrant, neq; suum uinum exequuntur, cum imitari eorum sit proprium. In quod uitium minime incidit Homerus, qui pauca quædam præfatus statim imitari cœpit, personarumq; mores, & actiones per sermões exprimere, qui non solum in effingendis moribus eximius exitit, sed etiam in distinguendis carminibus. Nam si aliorum poemata consideres, ex ametricum formam unam ferè, ac simplicem reperies; Neque enim ea pro materia: qualitate distinguere studuerunt. At Homerij poësim uariam, & in singulis animi affectionibus exprimendis & moribus accommodatam semper inuenies, quod & Virgilium fecisse patet ex ijs, quæ Pontanus in Actio scripsit, & Maranta in Lucullianis quæstionibus abundè est pro securus. Recipit historia quoque Epilodia, sed *ἀναρπυττόμυθα*; hoc est factum in enarrationem solam; sed non admittit *ἐπαγγελίαν* quæ sit per enunciationem. Siquidem eiusmodi artificium ad delectationem pertinet, quæ poëtarum propria est. Nam si historicis natura: ordine postposito, ac ueritatis lege neglecta tempora peruerterit, non lapratiq; potius, quam ueritati studuerit, mendacij suspitione, non carebit. Vt uir Epilodij orator. Digreditur enim à materia incepta, quod ab eo fieri testatur Cicerro, uel causa fidei, uel criminationis, uel laudationis, uel exornationis studio, quarum rerum exempla pulcherrima habentur apud Ciceronem ipsi in actibus in Veterem, in oratione pro lege Manilia, & pro Archia poëta. Sed redeo ad poetica Epilodia. Duo sunt, quæ Arist. præcipit in his esse seruanda: quorum unum est, ut ex subiecta materia consistant, alteru, ut congruetti nexu coniungantur. Descriptiones enim aut à suscepto negotio aberrantes, aut non rei coherentes magnopere improbantur. Quod innuere uidetur Horatius secundo illo poetices suæ præcepto, cum ait.

*Inceptis grauibus plerunque, & magna professis
Purpureus late qui splendeat unus, & alter
Assuitur pannus, cum lucus, & ara Diane,
Aut flumen Rhenum, aut pluuuis describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus.*

Oportet enim Epilodia esse ex re, & ad rem; Quod si secus fuerint, Epilodicam fabulam constituent; Omnium autem deterrimas censet Arist. fabulas Epilodicas esse; Sont enim fabulæ Epilodicae in quibus *τὰ ἐπιλόδια μετ' ἀλλήλα ὅτε ἕκαστος, ὅτε ἀπὸ τοῦ εἴους*; hoc est in quibus Epilodia neque uerisimiliter, neque necessariò ne cunctum mutuo, propter eaq; hæc maxime improbantur, quoniam in primis oportet fabulam apte connecti; cuiusq; partes omnes ad eò cohære, ut nulla sine totius detrimento aut immutari, aut tolli possit. Brunt ergo cohærentia Epilodia, quoties aut necessaria, aut uerisimilia erunt, Necessaria sunt, quæ de bellico apparatu sunt in catalogo Homeri; Verisimilia uerò, quæ de nauium propugnaculis impetitis, & defensis apud eundem habentur; Hæc uerò in dubium uenit, cur Epilodicas fabulas reprehendat, cum statutum sit fabulam recipere debere Epilodia, ut iustam magnitudinem habeat, cui rei in comicis quæstionibus scitis ab academico nostro satisfactum fuisse, cum differunt alia esse Epilodia, quæ cum re ipsa, de qua agitur, cohærent, & cuius partes, & membra euadunt, si uerò quæ diuersa sunt, & non cum re illa coeant, atq; ex eiusmodi Epilodiorum genere

genere appellationem habere fabulam Epifodicam. Ex dictis exploratum esse arbitror, hæc maxime conuenire Epifodijs, ut sint propria, coniunctaq; actioni, neq; longe ducenda esse, neq; à rebus longinquis: adhuc communia esse tam Epopœiæ, quam Tragicæ, & comœdiæ. Sed cum hæc breuia sint poemata, breuibus quoque Epifodijs indigere. Epopœiam uerò citat longum sit poema longis, & pluribus Epifodijs te si oportere. Propterea tam apud Homerum, quam apud Virgilium permulta sunt Epifodia, quæ recenserem; nisi illorum poetarum uos apprime studiosos esse scirem. Illud in dubium uenit, an Epifodium aliquod possit tolli sine totius operis detrimento, quod fieri posse illud confirmat. Nam Epifodia (ut dictum est) sunt *πρόματα ἐξαρύματα* ut ait Suidas; id est digressiones, siue narrationes præter rem, de qua agitur. Quomobrem si Epifodia sunt extra fabulam; a præcipuam actionem, uidentur tolli posse sine fabulæ detrimento. Vnde si quis sustulerit unum, aut alterum Epifodium ex Homeri, uel ex Virgillij poematis, non uidebitur imminuere totum, id est præcipuam actionem: Quam ambiguitatem ita diluere possumus. Nam Epifodia uel considerantur perse, id est, antequam in fabula admisceantur, uel cum actione primaria coniuncta. priore modo aliò respiciunt, neque detrimentum aliquod afferunt, ut quæ annexa nõ sunt, uerum actioni coniuncta eodẽ respiciunt, quò & actio ipsa, sicutq; partes illius, adeoque cum ea connexa sunt, ut seperari nullo pacto possint sine detrimento totius. Partis enim illud est proprium, ut addita perficiat totum, sublata imminuat. Vt clarissime innuit Hammonius in Quæstione illa. An logice sit pars, an instrumentum philosphiæ: quam excutit in commentarijs, quæ edidit in Arist. Categorias. Qua ratione ad ductus Franciscus Camp. Collensis in pristinam sedem restituit carmina illa secundum Aeneidos libri, quibus Virg. facit Aeneam in Helenam concitatum, existimans mancum illum librum fieri ex imminutione illius Epifodij, quod aliqui leui de causa detraxerāt. Sed antequam de Epopœia, & de Epifodijs finem faciam, minuire oportet Criticorum quorundam opinionem, qui Virgilium uellicant, asserentes, in Epopœia nihil præter uerisimile effingendum esse, uerbis illis Arist. muniti, quibus is præcipiebat. Poetæ proprium munus esse non facta ipsa propria narrare, sed quemadmodum uel geri potuerint, uel uerisimile, uel omnino necessarium fuerit. At nihil uerisimile esse inquit uirgulta è Polydori cadauere enata esse, myrteaq; siluulam ex acutis excreuisse iaculis, neque naues in Nymphas esse mutatas, neque tandem aureum ramum super ilice pululare. Vt uerò hæc, quæ ceteri præterisse uidentur, aut non satis explicasse, clarius enodentur, dicerem ipse, Poetam Epopœiæ scriptorem non solum quod uerisimile, sed etiam id, quod in admirationem auditores adducit, in suum poema inuehere debere. Non enim communia, ac uulgaria admirationem pariunt, sed selecta quædam, & ab hominum captu abhorrentia, quemadmodum Tragicus, qui terrorem iniicere intendit, semper terribilia consecatur. Neque aliã ob causam Epicus poeta Epifodia adhibet, nisi ut admiratione auditores afficiat. Hinc sunt speciosa illa Homeri miracula, & ea, quæ Virgilius ex Homero, aut ex alijs sibi assumpsit. Nemini igitur mirum esse debet, si doctissimus poëta, qui admirationi studet, poema suũ uarijs portentis, & rerum miraculis distinxit, atque referat, quæ tamen ex ueterum antiquis paucis mutatis ingeniosè imitatus est. Nam cum de uirgultis myrteis è Polydori cadauere enascẽtib; aliqua effinxit, ad Romuli hastã spectasse uidetur, quam ferunt in Albano monte fixam flores, foliaq; extrussisse. Sic & Ouidius lib. Metamorph. ix. Loti ramos sanguinem effudisse scribit, & si Virg. existimo admirabili illa fictione indicare uoluisse, nullum scelus tam abditum esse posse, quin illud aliquando non terra ipsa patefaciat. Quod ad naues pertinet, de Phæacum nauibus imitatus uidetur, quas Homerus finxit nullis instrumentis, nautisq; indigentes per se ipsas hominum mentes, maritimasq; horas cognouisse. Et si apud eundẽ Homerũ nauis ab Alcinoõ Vlyssi

data

data in scopulum à Neptuno mutata fingitur. Cui ad simile illud est, quod apud Arheum refert Apollonius Rhodius de Ocyroẽ puella ab Apolline adamata, quã Pom pilus rapuit, & cuius nauis in lapidem mutata est, raptor ipse in piscem. Harum fabularum similitudine commode potuit Virgilius, quæ de suis nauibus in Nymphas conuersis, effingere. Vt etiam ostenderet diuinum numen omnia posse, & pro sua uoluntate bonos tueri, malos uerò dignis supplicijs afficere. Nec minus quæ de aureo ramo extulit, uel de Druidarum sacris sumpfit, ut adnotauit Crinitus lib. x. de honesta disciplina, c. 6. quos ait ex Plin. conuenisse adscititios ramos de roboribus aurea falce demetere, cum quidquid in illis adnascatur, è cælo missum putarent, & ut sacram rem uenerarent. Vel potius sumpfit ex aureo uellere à Phryxo in Illice imposito, ubi primum in Colchos peruenit. aiunt enim eum incolumen illuc ope arietis appulsum illũ Marti sacrificasse, aureamq; eius pellem in ilice apposuisse. Et si fortasse audierat, quæ de Germania uitibus atreos clauiculos ferentibus refert Alex. lib. iiii. de dieb. gen. c. ix. Illud quoq; per aureũ ramũ sapientiæ Symbolũ innnet e uolens, eã scilicet in excelso loco sitam esse, & in Illice uirtutis Symbolo, neque parari posse nisi duabus colũbis ducibus religione, scilicet, & iustitia. Referrem quæ de auro sapientiæ, & de illice uirtutis indicib; IOAN. BAP. RIN. In poetica sylua collegit pulcherrima, & cognitione dignissima, nisi nos iam audiendo defatigatos uiderem. Propterea his omnis, etsi satis hæc, quæ dicta sunt, tueri Virgilium possunt, illud addam, ut ambiguitati extrema imponatur manus. Verisimile effingi oportere, neq; ab eo recedendum esse, ubi quippiam humana opera fieri poëta ostendit. Verum cum diuini numinis ope illud fieri canit, cui nihil est difficile, nihil arduum, nihil deniq; non possibile, absurdum non esse, neq; uitio poëtæ dandum aliquid supra uerisimile efferre, ut in maiorẽ admirationem auditor traduci possit. Quod ille minime assequi posse uidetur nisi per quædam speciosa rerum miracula, quæ humanas mentes, excedunt. Non errare igitur poetam tuemur, si quæ supra fidem sunt, ad Deum aliquem refert, eiusq; ope illa peracta esse: Apud Homerum loquitur Achilles equus Palladis opera. mutatur nauis in scopulum Neptani potestate: Vlyssis socij in uarias feras Circes ueneficijs. Sic apud Virgilium est Turni galea Vulcani opus: AENEÆ equi spirantes naribus ignes de eorum genere, qui Solis currum uehunt, Circes opera. Nec minus myrtea uirgulta nata ex Polydori cadauere Deorum ira, qui sunt malorum uindices, & cum naues mutantur in Nymphas à Cybele factum est. Et Ramum aureum in Illice statuit Proserpina, ut ad inferos descenduri eiũsmodi munere facti accederent. Arbitror satis superq; me nos nugis meis detinuisse, quamobrem optare libet, ut quæ dixi, eruditissimis uestris auribus, acerrimoq; iudicio satisfaciant. Iam me hinc decedere oportet, uideo enim aduentare unum ex Academicis nostris, tanquam Terentianam illam cantharam, suffar cinatam: Eum aliqua afferre puto ex Musarum hortis, quò se profecturum paulo ante dixerat. Scire igitur, quid secum exportet, non erit inutile.



ACADEMICA
D. ANTONIVS CARDINES
 DVLCIS MVSARVM ALVMNVS,
 EXPLORATOR.

NUPER feraces Musarum hortos ingressus, & à Calliope per singula ductus, dici non potest, quanta sim uoluptate affectus, quanta admiratione ex plurimarum, & admirabilium rerum copia attonitus. Quam iucundum fuit, per amplas illas Rhetoricæ areas spatari, quas Polyhymnia uersicoloribus ornabat flosculis. Quam utile magnas historiarum siluas ingredi, ex quarum ramusculis uirides corollas sibi innectebat Clio. Quam dulce Musices gustare fonticulos, è quibus riuulos educebat Euterpe, & quorum aqua per tubulos emissa coloratis allissa lapillis marmur ciebat suauissimum. Quam admirabile magnificis illis Tragediæ speculis, quas Melpomene asseruabat humanos casus spectare, fortunæq; inconstantiam. Quam præstans magnifica illa Astrologiæ tabulata cõttemplari, quæ innumerabilibus aureis pomis ornabat Urania. Quam bonum philosophiæ abditos recessus adire, quorum custodiæ Erato præstulebat. Denique quam pulchrùm picturatos Poeticæ parietes inspicere uarijs testos arbusculis, uarijsq; pomis onustos, quibus Calliope ipsa plurimum gloriabatur. Aderant prope uiridantium laurorum comæ, nec tenaces aberant edera: omnia, quæ poterant, complectentes. Variæ circumq; supraq; immortales auiculæ æthera mulcebant cantu. Harum rerum cupiditate captus, cum eas me nimis studiose litiguentem, miroq; desiderio flagrantem Calliope animaduertisset. Decerpe (inquit) quæcunque animo libitum est tuo. Neque enim fas est, huc quenquam accedere, & harum rerum expertem decedere. Nihil enim apud Musas liberalitate potius est, cum neminem sinant in donatum hinc proficisci. Sunt poma hæc ori gratissima, quæ & senibus medicantur anhelis. Sunt flores suauissimi ad adolescentium animis apprimè utiles, odoratissimæ laurus, uir ore edera: gratissimæ doctorum præmia frontium. Nihil hic uirtutis studiosis clauditur, optimo cuiq; omnia patent. Ipse igitur cum primum data est colligendi potestas, dulcium pomorum, & suauium flosculorum pulchritudine alleatus. Quid (inquam) mihi laurus, & edera? Poma aliquot, & flosculos decerpere præstabit. Sic rapacis harpyiæ more, modoq; aurea illa mala diripere coepi: animiq; angebar, ac discruciar, quod angusta hæc penula sponda uix sex, aut septem capere poterat. Subijtq; statim recordatio Alcæonius illius, quem ferunt, cum à Chæro Lydiæ rege impetrasset, ut tantum auri ex regio thesauro secum asportaret, quantum corpore ferre semel onustus posset, prægrandem tunicam indutum, primum magnos cothurnos referuisse, post uestis sinus, quin & aureis ramentis capillis implicitis, & in os quantum poterat auri coniecto, thesauro onustum discessisse magnis cachinnis rege dissuadente. Idem ipse agere incipiebam, indignabarq; quod pera aliqua, ut sacco carebam. Tunc Calliope, quæ me plurima audivisse rapientem Lauros uerò & ederas contemnentem ridebat, Pauca (inquit) hospes utilia sunt; multa satietatem pariunt, neq; facile fernari possunt. Adde & harum arbuscularum ramos, nam sine his illa haberi nequeunt. Defer hos ad academicos tuos meo nomine, quibus sua ornent tempora. Imperi eos, & pomis istis, meisq; uerbis salutatos hortare, ut quæ in his scripta sunt, accurate inspiciant, excutiantq; magnam ex hac re uoluptatem, utilitatemq; expectantes. Abi cito Apolline auspice, atq; duce. Calliope ipsa mihi testis est, quam ægrè illinc auulsus sim. Eius tamen mandato parandum fuit. Quæ data sunt, assero, uos omnes imperturus. At sistite paulisper. Quæ intemperies hæc est? ea me distribuere oportet Calliope iussu. Capite nobis interim lauros istas, & ederas: eas capiti quisquam apponatur, ante-

antequam quod in pomo suo scriptum est, recte explicarit. Ipse interim in hoc calatho mala hæc cõponam. Nolite existimare esse hanc Pandoræ Pyxidem omni malorum genere refertâ: est prætiofior Aesopi patina: decem sunt, numerus absolutissimus est, iam recte habet. Heus Tesserarie circûducito calathum huc tãquã tesserã, ut quisq; quod sibi uoluerit eligat. Heus facite, ut quisq; delecto pomo dignum se præbeat, præstetq;.

POETICAE QVAESTIONES ET PROBLEMATATA

QVAESTIO PRIMA

NATURA NE AN ARS PLUS POLLEAT IN POETICE.

CAROLVS PIGNATELLVS FEDERICI F.

QVAESTOR.

Nollem tanti mihi constaret pomum hoc, quod mihi Gordianum potius nō uidetur referre, quàm aureum malum, adè explicatu difficilem uideo inscriptam in eo esse questionem, eoque difficiliorè, quod de hac re præcipuos uiros diuersâ sentire nō ignoro. Inscriptio est. Natura ne, an ars plus polleat in Poetice. Lõga oratione eiusmodi rem indigere nemo est, qui nesciat. At ipse quàm breuissime potero, illam explicabo. Et primùm mihi se offert Platonis opinio, quem uideo omnia furori tribuere, sine quo frustra asserit Musarum fores pulsari, ubi furoris uocabulo naturam uidetur intelligere. Quæ in sententia Democritum antea fuisse testatur Horatius his uerbis.

Ingenium misera quia fortunatius arte

Credit, & excludit sanos Helicone poetas. Democritus.

Quod & Cicero 1. de Diuin. confirmat. cū ait. Negat enim sine furore Democritus quenquam poetam magnum esse posse: & lib. 2. de orat. Sape (inquit) audiui poetam bonum neminem (id quod à Democrito, & à Platone inscriptis relicum esse dicunt) sine inflammatione animorum existeri posse, & sine quodam affatu quasi furoris, Naturæ primas dedit & Pindarus, qui eam doctrinæ semper anteponit: eumq; sapientem esse statuit, qui multa scit natura: qui uerò didicerunt, eos tanquã coruos linguæ uolubilitate, & inani strepitu cum Iouis alite uoce contendere. Eius uerba prudens prætereo cum non ignorem uos in illius poetæ carminibus legendis assiduos esse. Naturæ quoque plus tribuere uidetur & Cicer. in oratione Pro Archia poeta, & Quintilianus in suis oratorijs. Altera est Aristotelis sententia, qua statuit Poeticen uel furiosi esse, uel ingeniosi. Vbi discrimen constituere uidef inter ingeniosum hominem, & furore percitum. Adhuc eos asserit, qui ingenio præditi sunt, ad quoscunque habitus induendos, & ad quamuis personam effingendam aptissimos esse, furore uerò percitos ad inquirendum, & ad diuersos mores summo mentis acumine pro re, ac loco & persona, & tempore explicandos. Ab utrisq; dissentire uidetur Horat. qui tam naturam, quàm artem per se mancas existeri arbitratus est, cū ait.

Ego nec Studium sine diuine uena,

Nec rude quid profuit uideo ingenium; alterius sic

Alter a possit opem res, & coniuurat amice.

VIDETIS ergo qui uiri quàm diuersas de hac re sententias protulerint. Eas tamen antequam ipse conciliare aggrediar, excutere aliquantum oportet. Quid furoris, & Ingenij appellatione intelligendum sit. Nam ex istarum uocum explicatione emerget fortasse (ut spero) quæstionis ueritas. Furor ex Platonis sententia

O est men-

est mentis alienatio, quæ duplex est. Nam uel ex humanis morbis contingere potest, uel à Deo prouenit. prior species infania proprie dicitur, posterior uerò diuinus furor & ut per illam homo infra hominis dignitatem deijcitur: sic per hunc supra hominis statum attolitur, Deoq; similis efficitur. Est autem diuinus furor illustratio rationalis animæ per quam Deus animam ab inferis ad supera retrahit. Huius diuini furoris species quatuor à Platone ponuntur. Poeticus furor, Misteriū, Vaticanū, Amatorius affectus. At igitur Plato, si quis sine hoc furore Musarum fores adierit, inanem eius poësim esse, quasi tanti sit poësis, ut sine diuino furore comparari nequeat, neque poëtas arte aliqua, uel casu assequi eam posse, sed in eis Deum aliquem existentem mentes excitare ad præclara carmina componenda. Vnde iure Ennius Sanctos appellat poëtas, cum eorum studijs Dij semper faueant. Quod ita esse pluribus rationibus probat Socrates apud Platonem. Tum quia ubi furor remissus est, poëta quæ scripserunt, non statim intelligunt: tum quia poëta omnes artes, & scientias profiterunt, quas simul humano studio addisci est impossibile. His addit, sæpe rudem, & ineptum aliquem in bonum poëtam subito euadere, & diuinum aliquid canere: quod nisi diuinitus contingere non potest. Idemq; confirmat exemplo Ionis cuiusdam Rapsodi, qui Homérica interpretabatur carmina, cum nullum alium poëtam præter Homerum exponeret, etiã si eadem, qua Homerus facilitate aliqua referret. Quod non casu, non arte facere uidebatur, sed potius diuino id numine suggerente. Ingenium uerò uel pro natura cuiq; ingenta sumitur, unde interdum ad inanimata transfertur. Nam loci ingenium appellat Sallustius, ipsius loci situm, atq; naturam. Interdum pro ui quadam naturali homini insita ad aliquid inueniendum, aut excogitandum acuta, quam *εὐρησιαν* Græci appellant, Vt illam alteram *φύσιν*. Inde ingeniosos appellamus, qui eiusmodi uirtute præstant ad aliquid percipiendū. Cum priore significato natura, cum posteriore ars consentit. Neque enim artem aliquam quispiam recte percipiet, qui acuto non erit ingenio præditus. Cum aliud ars non sit quàm recta ratio rerum faciendarum. Ex his patere potest, cum duplex ingenij significatio sit, aliter à Democrito, aliter ab Aristotele accipi. nam per priorem significationem idem erit ingenium, & natura, & ita opponitur arti, in eoq; sensu accipiendum ibi.

Ingenium misera quia fortunatius arte.

Per posteriorem idem erit cum arte, quo sensu intelligendus uidetur Aristotelis locus, cum inquit, Aut ingeniosi, aut furiosi poeticam esse. Is enim cum faciat ingenium à furore diuersum, nullum inter artem ingeniumq; discrimen statuere uidetur. Quam obrem cum Aristoteles ait, aut ad ingeniosum, aut ad furiosum poeticam pertinere, æque est, ac si assereret, poëtas uel per summam artem fieri, quæ solum ab eo potest haberi, qui acri ingenio præditus est: uel qui adeo à natura formatus erit, ut nulla in rebus cogitatione adhibita repente quicquid uoluerit effingat: quæ res merito diuini furoris appellationē meruit, cum nihil homo sine maximo labore assequi possit. Hinc quoq; arbitror cuiq; perspicuū esse posse, pares uires ab Aristotele tribui naturæ, & arti, quasi duas uias esse existimet ad poeticam laudem consequendam: cum is quoq; fateatur se nescire, an Homerus tanta poematis præstantia entiterit *ἢ διὰ τέχην ἢ διὰ φύσιν*. Deniq; ut tam præstantes philosophi inter se concilientur, dicerem. Platonem respexit se ad id, quod ut plurimum contingebat: Aristotelem uerò ad id, quod fieri poterat. Videbat enim Plato per multos diuino quodã spiritu afflatus pulcherrima edere poemata; per multos uerò arte tantum præstantes id assequi minime posse, iccirco primas furori detulit. At Aristoteles cum & naturæ bonitate, & artis præstantia ad eundem scopum proueniri posse uideret, utriq; pares uires assignauit. Aliquid quoque Horatium spectasse censerem, ad cuius sententiam proprius accedo. Is enim cum perspiceret Poëtam & rerum, uerborum copia indigere, tum harum rerum dispo-

spositioffe, ac collocatione. quorum alterum natura, alterum ars præstat: propterea asseruit alteram sine altera mancã esse, & imperfectam. Videbat præterea uitia aliquot esse in natura, quæ arte emendatur, ac corriguntur. Fungitur enim ars boni agricolæ officio, qui modò luxuriantes uitium palmites refecat, modò steriles agros assidua cultura simoq; spargendo uberioris reddit: Ita & ars coercet interdum ingenij profusam liberalitatem, superflua quaq; refecans, interdum naturæ sterilitatem laborum, & uigiliarum ope adiuuat. Id ergo, quod res ipsa postulabat, proculdubio spectauit Horatius, propterea censuit alteram alterius ope indigere. Neque naturam (ut puto) considerauit Hor. eximiam diuinitus inspiratam, qualem Plato respexit, neq; ita præstantem, & summam ut Pind. & Cicero. Sunt enim hæc Dei optimi Max. munera, uel naturæ portenta: sed potius eam, quæ homini quatenus homo est contingere potest, cui nihil adest ex omni parte beatum, ac perfectum. Nam qui diuino numine afflatus est, eiusmodi uiri ingeniu nemini dubiū est, quin omnia humana superet studia. Hæc habui, quæ de proposita quaestione dicerē. Ea tamē opto ut & uobis, & CICCI Regali amplissimi, & Præsidis nostri acerrimo iudicio satisfaciant. Eum enim ad poetica studia tam præstanti natura præditum uideo, tantaq; eruditione præstantem, ut quæ de his rebus dixi, in bonam partem libentissime sit accepturus.

QVÆSTIO SECVNDA.

FABVLA NE AN VERSVS FACIAT POETAM.

ANTONIVS CARACCIOLVS FRANCISCI F.

CENTVRIO.



LVRA in hac inscriptione me sollicitant. Est enim, Fabula ne, an uersus faciat poëtam. Primum ea mihi uidetur ad similes Catonis apophthegmati. Is enim cum quidam ex eo peteret, quid esse ceteret, quod calceos adrosos à muribus mane, dum calcearetur, inuenisset. Quid monstri hoc est? Inquit. Prodigium esset, si calcei mures adrosissent. Simile huic est illud Leutychildæ Lacedæmonij, qui cum portæ clauis draco circumuolutus esset, monstrumq; id esse uates denuntiarat. Minime mihi quidē uidetur, Inquit: sed si clauis Draconi circumuoluta esset, monstrū esse asseuerarē. Sic ipse miror quid hoc sit, Fabula ne, an uersus faciat poëtam. Nunquā enim è fabula Poëta uidi neq; fieri, neq; gigni, sed potius poëta effingere fabulas, & plures fortasse, quàm Africa fert monstra, eundemq; uersus facere. Deinde uereor, ne Calliope ludere nos studeat, cum hoc sit puellarum proprium. Nisi forte proposita quaestio sic intelligenda est. Quæ res magis facit, ut quispiã poëta nomine dignus censeret, Fabula, an uersus. Quod si ita est, ut credo. (Neq; enim fas est estimare tam præstantem Musam lusus, iocosq; sectari) ex Aristotele huius ænigmatis explicatio petenda est. Is enim cum uideret, Ita statutum esse, ut ille sibi poëta nomē uendicaret, qui & fabulas effingeret, eisdemq; metrica oratione explicaret, in dubiū uocauit, fabula ne potius, an uersu compositio alicui poëtae nomen traderet. Nemini enim dubium est, quin ad poëtae perfectã, absolutamq; formã utraq; & metricam orationem concurrere oporteat. Verum cū separantur, fabulæ primas deferēdas censet. Cuius hæc sũnt uerba. *δύλον ἔν ἐκ ἑτῶν ὅτι τὸν ποιητὴν μάλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιεῖν ἢ τῶν μέτρων. ὅσο ποιητὴς κατὰ τὴν μέμνην ἔστι.* hoc est. Patet igitur ex his, poëtam fabularū potius, quàm metrorū causa esse poëta, cū poëta circa imitationē uersetur. idē Arist. de Homero & de Empedocle hæc ait. Homero quoq; & Empedocli nihil præter metrum comune est, quam obre legitimus quidē ille poëta, hic physicus potius, quã poëta merito appellandus est. Similiter quoq; si quis metra permiscens uniuersã, imitationē tamē minime fecerit, nō iã poëta appellandus est, Ratio, qua id Arist. probat, uiderur ab

Ethymologia ipsius uocabuli deducta; Dicitur enim poeta *παιδὸς ποιητὴν* .i. à fingēdo siue ab imitando. Neque aliud poetice est, quàm imitatio. Vnde merito sequi uidetur ut poeta dicatur potius per fabulam, quàm per metrum. Imitatio enim sola per se facta est, ut quispiam poeta dicatur: quod metrum solum non efficit, cum ad poetices naturam magis fabula accedat, quàm metrum. Idem etiam & à signo probari potest. Nā enim si quispiam metrica oratione aliquid scripserit, poetæ nomen ei dari solet. Vnde ex quorundam sententia Empedocles apud Græcos, & Lucretius apud Latinos, qui aliqua de philosophia uersibus complexi sunt, in poetarum numero non habentur, Neq; Lucanus, qui historiam scripsit: neque Virgilius, neq; Hesiodus in Georgicis. Quod tamen (inquiūt) cū Virg. animaduerteret, uoluit in iiii. Aristi fabulam adnectere. Et si recentiores quosdam esse scio, qui eos à poetarum numero neq; propter hoc excludendos censeant: cū uersibus illa sint profecuti. Cum de hac re aliquando IOAN. BAP. ARCVCIVS uir in omni disciplina elegantissimus, & de poetica facultate optime meritus à me suam sententiam rogatus esset (est enim admodum frequens controuersia hæc apud eruditos uiros) inquit, censere se, Empedocle Lucretium, Lucanum, cæterosq; quos alij leui de causa, ex poetarum numero excludunt, inter poetas habendos esse ob eam causam, quia imitantur. Nam id quidem dubium non est, quin Empedocles, & Lucretius philosophum imitentur de naturæ arcanis differentem, sic Lucanus rerum gestarum enarratorem: Hesiodus & Virgilius in Georg. agricolam agriculturæ præcepta tradentem. Præterea memini Academicum nostrum in sua lectione tria poematum genera ex Platonis, & aliorum sententia statuisse, interq; ea primum illud recensuisse, quod sit per enuntiationē, siue narrationem. Quod si ita est, hos à poetarum numero excludi non oportet, cū in hoc genere uersentur. Nostri igitur sermonis conclusio hæc sit. Poetam per fabulam, & per metrum censerit: sed magis per fabulam, quàm per uersum, si hæc speranda sint, quia per fabulam imitatur, quod poetæ proprium munus est. Eadem in sententia intelligo esse CICCVM Præsidem nostrum, cuius eruditioni, ac iudicio tantum tribuo, quantum uiro præstantissimo omni disciplinarum genere ornatissimo iure uos quoq; tribuendum semper esse statuistis. Sed iam cursu lampada trado.

QVÆSTIO TERTIA.

AN RECTE DICATUR POESIS LOQUENS PICTURA.

FRANCISCVS BVCCAPLANVLA LVCII F.

CASTROR. PRAEFECTVS.



Qpportune lampas hæc tradita est, cū lumen aliquod quæstioni, quæ mihi proposita est, afferre possit, Ea est. An recte dicatur poësis pictura loquens. Nam quid est aliud fabulas facere, nisi pictorum instar rerum imagines imitari? Quamobrem non immerito Simonides appellauit picturam poësim mutam, contra uerò poësim picturam loquentem, ut Plut. adnotat in eo libello, in quo disputat. Bellum neq; an Philosophiæ studia clariore reddiderint Athenienses. Quod pluribus de causis eam sensisse iudico. Primum, quia utraque imitatur. Nam cū triplex sit picturæ genus. Vnum enim lineamentorum conformatione tantum constat. Alterum uarijs coloribus distinctum est. Tertium & inter hæc medium, quod neq; simpliciter lineamentorum circunductione, neq; multis constat coloribus. Ita ad tria genera & poësis pertinet, quorum unū fabulā tantū effingit, nullis moribus coloratam & distinctam. Nam ut picturam faciunt imago, & colores: ita poësim ornant fabula, & mores. Alterū genus est quod uarijs figmentis temere aspersis refertum dispositione, ordineq; caret. Inter hæc mediū intercurrit tertium, quod & fabulam recte dispositam, & suis orna-

orna-

ornamentis tanquam coloribus belle conformatam habet. Quare ut pictores illi probantur, qui per suas imagines optime hominum mores exprimunt, adeo ut ex illorum formis facile quisq; in illis percipiat aliquos latentes affectus: ita & illi optimi poetæ censendi sunt, qui mores hominum per fabulas apposite exprimunt. Sic laudat Polygnotum Aristoteles, quod apte uirorum mores per lineamenta, & colores effingeret; eiusq; tabulas spectari præcipit à bene institutis adolescentibus, quod eos ad uirtutem excitarent: contra Zeuis picturā non probat, quod licet per belle hominum imagines exprimeret, moribus tamen carebat. Illud quoq; efficit, ut poësis cum pictura consentiat. quod utraq; aut præstantiores, aut deteriores, aut similes nostræ ætatis imitatur; Effingit pictura præstantiores uiros cum Heroum imagines uel actiones exprimit, ut Polygnotus antea, nunc qui sanctorum uirorum simulacra effinguit. exprimit similes ea pictura, quam communis ætatis cuiusq; usus affert; cuius picturæ artifex fuit antea Dionysius. Deteriores delinquit illa, quæ turpiora quædam optime expressa continet. Talis picturæ magister fuit Pauson, cuius Arist. meminit. Sic in priore poësis genere præstantiores imitatur est Homerus, & post ipsum Virgilius: similes Cleophon, deteriores Hagemon. Hinc effectum est, ut tam pictores, quàm poetæ *παιδὸς* à Græcis communi uoce dicerentur, (ut in sua lectione noster Academicus docte animaduertit) Et ut in poetices rebus probandis sæpe à pictura ducerentur exempla; quod Arist. & Plato plerunq; faciunt. Quæ res etiam Horatium impulit, ut à pictura suam Poeticam aufpicaretur. Cicero quoq; plerunq; pictores, & poetas connectit, modò pictorum, & poetarum portenta appellat. Idemq; tradit Homeri poësim picturam esse potius existimandam. Traditum est (inquit) Homerum cæcum fuisse; at leius picturam, non poësim uideamus. Quæ regio? Quæ ora? Qui locus Græciæ? Quæ species formæ? Quæ pugna? Quæ acies? Quod remigium? Qui motus hominum? Qui ferarum uo ita expictus est, ut quæ ipse non uiderit, nobis ut uideamus, effecerit? Plutarcus quoque in uita Homeri probans eius poësim picturam esse, exemplo illo potissimum usus est, cum poeta finxit Ulißem cognitum à nutrice, ita enim illic omnia tractata, oculisq; exposita esse docet, ut potius expicta uideantur, quàm narrata. Illa quoq; magna esse uidetur poëseos, & picturæ affinitas, quod quædam pictura propius inspecta magis oblectat, quædam si longius abstes, semelq; inspexeris. idem cōtingit in poësi. Quædam enim primò aspecta placet, bis, aut ter repetita nullo in pretio habetur: Quædam uerò interius inspecta, septies, deciesq; repetita, acerrimo deniq; excussa iudicio magis probatur. Sed de hac re audite pulchra Horatij carmina.

*Ut pictura poësis erit, quæ si propius stes,
Te capiet magis, & quædam si longius abstes.
Hæc amat obscurum, uolet illa sub luce uideri,
Iudicis argutum quæ non reformidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.*

Vellem dum de pictura, et de poësi loquor, Præsidis nostri laudes utraq; arte præditus, aut altera saltem expingere, ut quæ ipse apud regem suum, & pro patria fortiter, integreq; gessit, digne explicata, & posteris cognoscere possent. Sed quid utriusq; facultatis ignarus poterō? Nihil rudem poetam, uel pictorem moliri fas est. Quamobrem præstabit silere, quàm tanti Principis gesta male effingere. Ne dum Homerum aut Polygnotum imitari studeo, Cherili potius, uel Pausonis partes suscipiam. Sed iam traditam lampada cursu transmittere oportet.



NUNC meus me uocat labor. Scitote me in fabulas incidisse tanquam a finū inter simias. Nam dum de his loqui oportet, magnopere uereor, ne fabulam aliquam de me ipse apud uos excitem. Est enim propositum problema. **CVR POETA FABVLIS UTITVR.** Hac in re illud me consolatur, quod per multa de fabula hic paulo ante dicta fuere. Quid ea sit. Quot eius genera. Quæ sint eius præcepta: cæteraq; cognitione dignissima. Quibus ex rebus facile huius problematis explicatio elici poterit. Dicim⁹ ergo ea de causa id fieri, quia poëta imitatur. Nemo enim licet imitari, quin ad ficta confugiæ, in quibus imitatio consistit uoluptatis auriga. Neque aliud tam poëta sectatur, quam utile aliquid cū oblectatione asserre illorum parentum more, qui (ut ait Lucretius) pharmaca filijs proprii naturi eorum ualitudini salutaria, uasculorum ora melle inficiunt. Videbat poëta esse se ueritatem propinaturum, quæ, ut inquit comicus, odium parit, propterea studet uoluptatis melle illius acerbiter lenire, ut facilius ea in adolescentulorum animos inuehi possit. Hinc effectum esse arbitratus est Horatius, ut cines diuturnis fractis laboribus poëticis modulis publico in loco resicerentur. Quam obrem solo spectaculo initio deleruire cœpit Poëtica. Nam & Epicos uersus palam pronuntiarum mos erat, cuius recitatores Rapsodi dicebantur. An fabulis utitur poëta, ut facilius doceat: nam per ea, quæ sensui subiecta sunt, tanquam per magis nota datur aditus ad ea, quæ difficulter percipi possunt. Quod cum fit, libentius audi. ores ad naturæ arcana, & facilius se accommodant. Fabularum hoc est proprium, & oblectare, & cū oblectatione facilius docere: quam rem & Arist. in problematibus pulchre animaduertit. Fabulas igitur poëtam adhibere oportet, ut & facile doceat, & animos simul oblectet, quod minime assequi nisi per imitationem potest. Hinc quoque effectum esse licet arbitrari, ut poëta crebro translationibus, similitudinibus, & comparationibus, tum descriptionibus uteretur, quæ rem ante oculos ponentes magna uoluptate animos afficiunt. An eò fabulis utitur, ut naturæ arcana breui quadam oratione complectatur, eademq; figmentis tanquam uelis contegat, ne in humilia, & tenebrionum manus incidant. An ut per fabulas res memoria melius contineri possint. Nam, quæ sub illis latent, hominis mens eiusmodi fictionum uoluptate delineta & facilius percipere, & diutius memoria continere potest. An, ut ueritas, quæ temporis longinquitate uariari solet, per fabularum inuolucra, quæ non uariantur, stabilitatem, constantiamq; nancisceretur. Quibus rebus accedit et poëticus numerus, qui non facile mutari potest, ut solutæ orationi solet contingere. An, ut uno eodemq; apparatu diuersis hominum cupiditatibus satisfacere possit. Imperiti enim fabellis tantum contenti discedunt; peritiores tropologico sensu delectantur: acri uero ingenio præditi sublimia affectantes in physica, & theologica penetant. Inde fit, ut nemo sit, qui ex poëticis fabulis aliquam ex uaria cæna suo gustui gratia excerpere non possit. Utinam fabularum rationes perfecti ueritatis scopum attingere liceat, cuius scio Præsidentem nostrum ad eò studiosum existere, ut nihil, nisi quod uerum, simplex, sincerumq; sit, eius natura admitrat. Et cuius callus tanto in honore apud omnes habetur, & præsertim apud PHILIPPVM Regem, ut magnis rebus agendis eius sententia rogetur, & confirmetur, tanto enim pollet consilio, tanta sinceritate, & integritate, ut quod ipse sentit, illud omnes libentissime

tissime sequantur. Verum ipse in mei problematis ueritate eruenda, cum hominis propria sit inquisitio, atque inuestigatio ueri, plura arma adhibui. Nam & si interdum ita perse perspicua est ueritas, ut facile inueniri possit, tamen plerumque ei adhibenda uis est, ut erui possit.

CVR POETICE MEDIOCRITATEM RESPVIT, PR. II.

CAROLVS BRANCACIVS TIBERII F.

PRÆFECTVS LEGIONIS.



RAHIT me in admirationem problema huic malo inscriptum, quod mihi fors obtulit. **CVR POETICE MEDIOCRITATEM RESPVIT.** Ea enim uirtus, cuius causa cætera omnia magno sunt in honore, nullam poëticæ facultati laudem conciliat, omnibus in rebus mediocritas est optima, inquit Cic. & Horatius auream mediocritatem appellat: de qua etiam pulchram illam exulit sententiam.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

Honestæ quoque actio tandiu uirtutis appellationem habet, dum in mediocritate uersatur: atq; æque ab extremis recedit. Sed esto, uirtuti hoc detur, humanisq; astionibus, quæ ubi medio recedunt, cū uirtute esse non possunt. Secus est in disciplinis, quæ quod magis ad lummum accedunt, tanto maiori habentur in pretio, tumq; decus assequuntur. Hæc præstantia ut in cæteris facultatibus optabilis, ita in Poëticæ necessaria est. Quod cū Horatius non ignoraret, inquit,

Mediocribus esse poëtis.

Non dij, non homines, non concessere columnæ.

Propterea inquit Cicero, singulis ex sæculis bonum poëtam inuentū, perrara enim semper fuit excellentia. Neque solum poëtam in magnis rebus explicandis excellentem esse oportet, sed etiam in paruis naturæ instar, cuius maiestas non plus in homine, aut in elephante, quam in ape, aut in formica spectatur. Præterea cū poëta munus sit bene, atq; appositè dicere ad admirationem comparandam, eam assequi minime poterit, nisi ad rerum, & sententiarum præstantiam, ac granditatem uerborum quoq; magnificentia accesserit, sineq; defraudabitur suo, nisi audientium, aut legentium animos ita per mouerit, ut admirationem pariat. Cur ergo mediocritatem Poëticæ non admittit, quæ cæteris in rebus tam optabilis est? An quia poëticæ facultati præcipue oblectatio proposita est, cæteris uero utilitas. Idcirco in his mediocritas conceditur, in Poëticæ uero oblectationis magistra, sine qua uita duci potest, nisi excellentia quædam effulserit, ea in pretio esse non potest. Nam quæ ad necessitatē inuentæ artes sunt, etiam cū mediocritate pofunt. Vnde Iurisperitus, aut artifex aliquis & si non egregius est, tamen quia prodest, in pretio habetur, poëta mediocris esse non potest. Probat id Horatius à Muses exemplo in cæna adhibita. Nam ut hæc nisi præstant fuerit, paruipenditur, cū cæna sine illa duci possit: sic poëma, cuius finis est uoluptas, nisi ad summum eruditionis gradum accesserit, tanquam infimum repudiabitur. Horatij uerba non prætermittam. Ea sunt.

Ut gratas inter mensas, symphonia discors,

Et crasum unguentum, & sardo cum melle papauer.

*Offendunt; poterat duci quia cana sine istis.
Sic animis natum, inuentumq; poema iuuandis.
Si paulum summo discessit, uergit ad imum.*

Hac Poëticae præstantia effectum est, ut perpauci optimi poëtae extiterint, paucorumq; scripta ad nos peruenerint. Atq; ex tot, quot extitisse iam constat, optime scitis qui in Heroicis, & in Lyricis, aut in cæteris poematum generibus elucescant, reliquos quasi ueritate collapsos ob mediocritatē intercidisse. Date ergo operā Academicī, ut per multas lucubrations, ad tantā præfatiā peruenire ualeatis, in qua CICCVM Præsidentem nostrum cæteris ætatis nostræ uiris doctissimis anteponendum esse uos ipsi cognoscitis adeo ut Virgilio in Heroicis, & Horatio in Lyricis facile possit comparari. Sed nefas, dum de mediocritate agimus, modum excedere, quem non minus in dictis, quam in factis seruandum philosphi præcipiunt. Nam et Poeticæ præstantia, de qua egimus, est in illa arte mediocritas. eoque magis nefas est modum non seruare coram tanto Principe non minus mediocritatis obseruantissimo, quam poeticæ facultatis studiosissimo. Modum igitur facio, ne in audaciæ, uel impudentiæ labem incidā. Lampada enim Tradere tempus admonet, cui nunc tractanda restat.

CVR PLATO DE SVA REP. POETAS EIECIT. PR. III.

ALFONSVS ROTA. BERNARDINI F.

P R A E F. C A S T R O R.

PARCITE Academici humanissimi, si Satyricorum poetarū more me clamantem audietis. En problema. CVR PLATO DE SVA REP. POETAS DEIECIT. ð uirum iniustum, ð nomothetā nimis seuerū, ne dicam sæuum, qui non uidet dum de iustitia agit, quā in iuste innoxios uiros agit, ð imum morem; qui non meminit statuisse, poetas diuinum genuit, Deorumq; munere hominibus traditos esse. Et quid hoc est, nisi gigantum more naturæ repugnare? Cur ergo tantus Philosphus tam grauem aduersus poetas sententiam tulit? An quia imitantur quod ex ipsius met opinione nihil est aliud, nisi uilissima agere. is uerò cur imitationem seruilem esse, atq; uilissimam existimari, audite quælo. Inquit enim artium tria esse genera. Vnum utentium, alterum fabricantium, tertium imitantium. Exemplis hæc illustrare sic oportet. Musica ars dicitur utens, utitur enim Lyra, hæc superat artem lyræ fabricatricem: quoniam certo sibi præscripto fine formam illi proponit operis conficiendi: hanc quoque artem ait superare pingendi rationem, quæ lyræ lineamentis, ac coloribus imitatur. Hoc in numero poëtam collocat Plato, qui haud se cus ad aures actionum, ac rerum imagines per uoces defert, ac pictor per lineas, & per colores ad oculos. Propterea utrosq; uilissimos putat, qui neq; res ipsas intellegunt neq; faciunt. Sed apparentes sensibus rerum formas sequentes, uulgaresq; de ijs opiniones aucupantes, imagines quasdam referunt nulla ueritatis habita ratione. Quam ob causam nullam Poëticae partem, quæ in imitatione consistit recipiendam censet ipsa, quæ imitatione iocum quendam potius esse, quā rem seriam. An edo fortasse poetas excludit, quod animi perturbationes concitant. Nam cum due sint animæ partes, quarum altera superior, altera inferior dicitur, ad superiorem ratio pertinet, inferior est rationis experta, ac perturbationum receptaculum. Poëta (ut ipse censet) propterea improbandus est, quod præcipua animæ parte neglecta, eam, quæ ratione caret, exuscitat, alitq; quam dum fouet, atq; irrigat, cum potius extenuanda esset, rationalem animæ partem labefaciat. Quam rem tanti esse momenti existimat, ut non solum iuniores,

niores, ac teneros adolescentulorum animos corrumpere possit, sed etiam probos uiros deteriores efficere. Idcirco cæteris poëticae partibus explosis eam tantum admittendam censet, quæ hymnos in Deorum, & uirorum fortium laudes continet. Hæc Platonis rationes quanti sint, uestro iudicio, & præsertim Præsidentis nostri summo ingenio præditi excutiendam permitto, is enim ad summam ingenij præstantiam tantam eruditionem addidit, eaq; tantum cæteris antecellit, quantum Plato ipse præficus philosphis præstitisse cæsetur. Ipse tamē ad Aristotelis sententiā accedens, quæ poetas ijsdē de causis magnificiendos cæset, quibus eos Plato improbat: tū quia imitatur: tū quia animi affectionibus imperant. Est. n. imitatio ipsa iucunda, hominibusq; data ad eas molestias leniendas, quibus uita nostra undiq; premitur. Neq; alia in re ex eiusdem sententia; uirtus consistit, quā ut homines discant lætari recte, amare, odisse, nullaq; in re magis exercetur, quā ut assuescant iudicare recte, & lætari probis moribus, honestisq; actionibus, & contrarijs dolere. Quod in poetarum figmentis quis non uidet aptissime effici, in quibus sunt tanquam simulacra mansuetudinis, temperantiæ, cæterarumq; uirtutum. Necessè est enim, ut qui rerum imaginibus aut gaudeat, aut doleat is rebus ueris multo magis & lætetur, & doleat. Præterea poetarum uocibus homines bene instituti multo æquius, si quid aduersi contingerit, ferent, minusq; angoribus conficientur. Maximum hoc quidem perfugium est in aduersis: cum adolescentiam hæc studia erudiant, alantq; senectutem oblectent, ut inquit Cic. Quamobrem nou tam acerbe aduersus poetas agendum erat, quorum beneficio humanos casus patienter ferre discimus, & secundis in rebus non efferri. Platonis partes lectatus mihi uidetur Adamarius Origenes, qui per Ranas in Pharaonem de cælo immittas poetarum carmina significari arbitratus est. quod haud secus poëticorum carminum sonus inanis sit ac ranarum clamor, qui & negotiosis, & otiosis fastidium parit. Sed nescio, an rectè hic (pace tanti uiri) quoq; senserit, qui dum poëticos numeros carpit, non uidet se Mosi, Hieremiæ, Esaiæ, Dauidiq; ipsi, ac cæteris prophetis derogare, quorum sacra uaticinia de diuinis, humanisq; rebus carminū modulis scripta Christiana Resp. non modo non respuit, sed quotidie canit. Nisi forte dicendum sit pro Platone, & pro Origene, cum duplex sit poëticae genus, diuinum, quod de cælo Plato aduenire putauit, sanctioribus moribus accommodatum, & obscœnum quod fabulis, amatorijsq; lenocinijs referuntur, ipso dicendi lepore delectabile, sed bonis moribus maxime aduersum, illos præstantes uiros non de diuino illo genere tam grauem tulisse sententiam: sed de posteriori hoc quod ex omni optima ciuitate, ex omni ludo, tanquam bonorum morū corruptela seuerissime explodendum est. Quod genus polypi capiti Aegyptios comparasse inuenio, eiusq; imagine illud effinxisse. ut enim polypi caput esculentis appositum suauissimi saporis esse perhibetur, sed horrenda prodigiosaq; somnia parere: Ita hoc poëticae genus & si dicitur quodam lepore delectat, tamen turpium rerum illecebris animos insicit: Video me ultra terminum excurrisse. Nunc uerò satius erit lampada iam proximo tradere, ne dum polypi apparatu uestris studeo palatis satisfacere, uanis aliquot potius perturbem insomnijs.



HAEC res Platonem ceterosq; graues poeticæ censores ab accusandis poetis poterat deterrere, quod Apollini essent sacri, ut problema huic malo incisum clarissime indicat. Querit enī. CVR POETAE SINT SVB APOLLINIS ET MVSARVM TVTELA. O felices poetas, quos tam præstantes, tam caelestes tutantur patroni: & quibus tam benigna, tam salutaria aspirant numina. Nam quid hoc indicat, nisi diuinum genus esse poetas, diuinisq; afflato numine deorum dono hominibus traditos esse? Audistis Academici paulo ante Quæstorem nostrum aliqua de furore poetico accurate, dixisse, diuinisq; furoris quatuor fecisse species, Poesim, Mytherium, Vaticinium, & Amorem. Nunc uerò addendum est, his quatuor numina præposita esse, Musas, Bacchum, Apollinem, & Venerem. Neque aliud Musas esse censent. (ut ab his exordiar) nisi nouem caelestium sphaerarum ordines, quæ omnes suas uires intendunt ad poetam informandum. Nam si uerum est, ex singulis orbibus uirtutes aliquas in homines transmitti, in excellentem poetam omnes simul inspirari necesse est, cum omnibus ingenio antecellat. Quid enim aliud Calliope censetur, nisi primi orbis concentus cæteris orbibus motum præstans? Quid Vrania, nisi cælum sideribus insignitum? Quid Polyhymnia, nisi Saturnus, propter memoriam rerum antiquarum, quam suggerit? Terpsicore non ne Iouem ostendit hominum generi salutarem, & prosperum? non ne Clio Martem indicat propter gloriæ cupiditatem? Melpomene non ne Sol est, totius mundi temperatio? Erato quid nisi Venus est propter amorē? Quid Euterpe, nisi Mercurius ob uariarum disciplinarum Encyclopædiam? deniq; Thalia non Lunam monstrat propter uiriditatem eius humore plantis exhibitam? Præstat luna gignendi facultatem, Mercurius ad uarias artes aptum ingenium Venus amorem, Sol intelligendi facultatem, Mars audaciam, Iupiter consilium siue gubernandi facultatem, Saturnus contemplationis acumen, stelliferum cælum uariarum uirtutum semina, primus orbis motus. Significant quoque Musæ nouem illa munera quæ litterarum studia comitantur. Nihil est aliud Calliope, nisi disciplinæ pulchritudo & orationis suauitas, quæ doctus poeta cæteris antecellit. Vrania caelestis uita; nam cælo Musa beat. Polyhymnia multa laus, quæ litteratis uiris exhibetur. Therpsicore lætitia, quæ consequitur, ubi quid addiscimus. Clio gloria, celebritasq; ex studijs manans Melpomene suauitas, quæ in audiendis poeticis modulis afficitur. Erato amor, quo doctos prosequimur. Euterpe oblectatio: nam quid delectabilius, quàm in litterarum studijs uersari? Thalia uiriditas est, ac fama illa bene actæ uitæ assecla. Sunt qui disciplinas in tria genera partiti sunt, eorumq; singula in ternas species, quas per nouem Musas significari uolunt. Nam philosophiam distribuunt in Naturalem, Moralem, & Rationalem. Rhetoricen in Demonstratiuam rationem, Deliberatiuam, & Iudiciale, Mathematicam in Arithmetice, Musicen & Geometriam. Per multa de Musis, & de earum numero explicantur à Rinaldo nostro in Apollinis familia, quæ sunt cognitio ne dignissima, iccirco nolo pluribus hac in re immorari. Hæ sunt illæ deæ, quæ poetas è corporis somno ad uigiliam mentis excitant: quæ ex ignorantia tenebris in lucem reuocant; quæ ex læthea obliuione ad diuinarum rerum contemplationem accendunt. His Apollo accedit, diuinum .f. ingenium, diuina illa mens, quæ poetas ad diuina canenda & ad futura prædicanda suo lumine excitat, unde efficitur ut poetas uates dicantur ijdemq; harmonicos inspirat numeros, quibus nihil est dulcius, nihil ad permouendas & ad

& ad delectandas hominum mentes accommodatius. Hic ille præses est, qui eos exagitat, stimulat, & inflammat ad ea, quæ præfagiunt, carminibus exprimenda. Cur ergo sub Musarum tutela poetas sunt? An quia caelestes orbis illæ sunt, quæ poetarum mentes fouent, illustrantq;. An quia Musæ disciplinæ illæ sunt, quæ animos hominum accendunt. Cur sub Apollinis patrocinio? An quia Apollo sol est, qui poetarum fauor ingenijs, ea illustrans. Ut enim dux, & moderator hic est luminum reliquorum, sic etiam ingeniorum est illustrator. An quia poetas sunt sub tutela magnorum Principum, qui nisi illis fauerint, eos iacere necesse est. Id ita esse nos optime cognoscimus, atq; sentimus. Adest enim nostris laboribus CICCYS Mæcenas noster munificentissimus, atq; adeo fulgentissimus noster Apollo, qui liberalitatis, & benignitatis suæ radijs litteratos uiros tam benigne, tam liberaliter illustrat, ut nemo clarius, nemo illustrius. Quâobrè *Βαλλ' ἑτορ* Princeps illustrissime, *ἡ πάλαι ἡ πάλαι*. nemo enim melius, quàm tu nostris miserijs mederi poterit. Mitte Charites illas, quas in dextera geris; sic Deus opt. Max. benigne tuis uotis aspiret: sic tibi superstes sit FERDINANDVS Filius optime indolis atq; ipse, ut FERDINANDVM auum illustratissimam urbis nostræ decus maximam nobis referat. sic ambo ea dignitate fruamini, quam tibi omnes amplitudinis tuæ studiosi uehementer optamus.

CVR POETAE CYGNI SOLEANT APPELLARI, PR. V.

D. BERNARDINVS CARDINES D. FERDINANDI F.

TORQUATVS.

VELLEM de cygnis disuro cygnorum canoram mihi uocem dari, ne inter tot suauissimos olores coruus crocicans, aut stridens anser appaream. Aspiret Principis nostri Zephyrus, ut suauius canere possim. Problema illud cõtigit. CVR POETAE CYGNI SOLEANT APPELLARI. Quid melius cõfirmat poetas Apollini dicatos esse, quàm cygnos Apollini sacras aues appellari? Sed ne quispiam hac de re ambigere possit, audite Virgilium.

Vare tuum nomen, superet modò Mantua nobis,

(Mantua uæ misera nimirum vicina Cremonæ.)

Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.

Multa Dirceum leuat aura cygnum.

Iam iam residunt curibus aspera.

Pelles; & album mutor in alitem.

Sic Orpheum Calliope filium tandem in cygnum mutatum asserit Plato, cum insignis musicus, & poeta extitisset. Vnde AENEAS philosophus Orpheum cygni nomine euocandum censet. Cur ergo cygni appellantur poetas? An quia candore, & musica nobilis est auis hæc, quibus rebus poetas præditos esse decet, hoc est morum probitate, & poeticis modulis; cum nihil magis eos dedecet, quàm turpitudine morum, & suæ artis imperitia. An quia cygni morti propinqui suauius canunt, quasi lætantes (ut Socrates aiebat) quod ad eum, cuius ministri sunt, breui se peruenturos esse præsentiant: uel quia præuidentes quid in morte boni sit (ut ait Cic.) cum cantu & uoluptate moriantur. sic poetas quo magis ad senectutem accedunt, & quod magis per ætatem profecerunt, eò elegantius scribere, & suauius canere solent. An quia cygnorum mos est acriter inter se concertare, & alterum in alterum fauere, morsusq; cõuertere: sic poetarum illud proprium est, ut cæteris eiudem artis obtrectent; Nam qui uelit ingenio cedere, rarus

ratus erit. An quia, ut Cygni in aquilam non impetum faciunt, nisi laceſſiti: ſic poetæ prouocati aduerſus inuidos, & mordaces acuta cornua tollunt. An quia ut Cygni ſtate Zephyro ſuauius canunt, ita poetæ gloriæ, & laudationis aura aſpirante ad ſuauius canendum excitantur. Nihil enim petitur ſacris, niſi tantum fama poetis. quibus dum principum lenes aſpirant auræ, mirum, quàm dulci concentu auditorum aures demulceant. Hæc aurea Virgilium, & Horatium ſuauiffimos Cygnos extulit Romæ. Hæc Põtantum, & Actiũ Sync. Sãnazarium Neapoli. quibus magnanimatorum principum ſtudia non deſuere. Hæc eadem tollet uos Cygni iuuiſſimi, quos tam modulate canere audiui aſpirate Principis noſtri leniſſimo Zephyro. Perge igitur Mæcenas ampliffime integritatis, & morum iuuiſſimatis, qua polles, flamine, noſtris ſtudijs aſpirare, ut Academi noſtri in candidiſſimos animi tui mores intuentes, & hoc leni humanitatis tuæ ſybilo recreati inſtitutum concentum perficere ualeant.

CVR LAVRO ET EDERA ORNANTVR POETAE PR. VI.

HORATIVS SVARDVS PAVLI F.

DECVRIO.



QVOD mihi ſe ſe offert problema, præbet omen futuræ gloriæ. Nec enim ſecus ex huius inſcriptionis uoce laudem mihi propono, ac uictoriam Paulus ex filia uerbis anguratus eſt, ubi Perſam (de catella loquebatur) mortuã eſſe lugeus affirmauit. Audite Problema. CVR LAVRO ET EDERA ORNANTVR POETAE. Si Cygni poetæ Apollini dicatos eſſe confirmant, id multo magis tuetur & laurea corolla, quæ poetis ob multos labores in poetis ſumptos tribuit. Nullius enim arboris ramis coronari poetæ fas erat, niſi eius numinis, ſub cuius tutela ea exiſtit. Laurum uerò Apollini ſacram eſſe non ignoratis, uel propter igneam qualitatem, qua pollet: uel quòd igni admota reſonat, unde aliqua prædicendi occaſionem Veteres arripiebant. Vel quia puluinari ſubſtrata noctu in ſomnis, quæ uetura ſint, denuntiare credita eſt. Vel quòd multis pollet remedijs, cuius rei gratia et AEsculapij Apollinis filij caput ea ornari mos erat, ut qui medicam artem in primis profeſſus fuit: Vnde Apollinis uates lauream coronari ferebant. Sic apud Virgilium Rex Annijus, Phœbiq; ſacerdos aduentanti Aenæ occurrit ſacra redimitus tempora Lauro. Et apud Homerum Chryſes (ut notat Euſth.) cum laurea corona ad Græcorum caſtra acceſſit. Neque ſolum ſacerdotes, & diuinatores in artis indiçiũ laureã geſtabant, ſed etiã, qui oracula petebãt, ut Ariſtophanis interpres adnotat in Pluto. ubi Carion ait. ὁ γὰρ ἔστ' ἄνθρωπος ἐλάων ἐχέοντα. Ex diuinandi igitur ratione, quæ ex lauro petebatur, exiſtimare poſſumus, laurum Apollini diuinationis præſidi fuiſſe dicatam. cumque Δαφνὴ à Græcis appelletur, hinc de Daphne ab Apolline adamata, atque in arborem ſui nominis mutata fabulam eſſe ortam licet arbitrari. Nec minus edera Baccho dicata eſt, ſub cuius patrocinio Græci poetæ uerſantur: ut plerunque indicat Horatius, uel quòd ſemper uireat, ut ille ſemper iuuenis: uel quia uinum hominum mentes ligat, irretitque, ut edera quæcunque naſta eſt, amplectitur: Vel quia uetulaſtis ſymbolum eſt edera, cum caducis parietibus, & annofis arboribus inhæreat: uinum uerò uetulaſtate commendatur: uel quia ederacetum poculum uinum traſfundit. Vel quia eius folia commanducata ebrietatis ſpeciem quandam præſeferunt. His uerò coronari poetæ iam conſtat uel ſeiunctis, uel ſimil intextis. De lauro Hor. meminit. his uerbis.

Sume

Sume *ſuperbiam*

Quæſtam meritis, & mihi Delphica

Lauro cinge uolens Melpomene comam

De edera Virg. *Pæſtores edera crescentem ornate poetam.*

Et Horatius. *Seu condis amabile carmen*

Prima feret edera uictricis præmia.

Et rurſus. *Me doctarum edera præmia frontium*

Dijſ miſcent ſuperis.

De utraq; ſimul Virg. *Atque hanc ſine tempora circum*

Inter uictrices edera tibi ſerpere lauros.

Cur ergo poetis eiufmodi corollæ propoſitæ ſunt? An, quia ſunt ſub illorum Deorum tutela, quibus hæc plantæ dicatæ ſunt. An ad immortalitatem indicandam, quàm ex ſuis ſcriptis poetæ ſibi comparant, & cuius illæ plantæ ob perpetuam uiriditatem indices exiſtunt. An ut indicetur Natura, & arte ſimul poetæ ualere. Laurus enim inſitam ingenio uim, ac uenæ fecunditatem Apollinis lumine illuſtratam ſignificat edera artem, & induſtriam peragili labore partam. Hæc enim pertinaci labore, artificio ſoq; conatu parietibus, uel arboribus adhæreſcens ad ſumma ſaſtigia peruenit. An datur laurus ad amaritudinem illam indicandã, quæ in litterarijs laboribus percipitur cum ex illis tamen multa proficiantur bona, ut remedia ex lauro. Cuius rei gratia Heſiodus laureo baculo à Muſis ſe donatum fuiſſe aſſerit. An datur edera, quòd ut eius folia ex altera facie pallent, ex altera uiuent; ſic bonorum poetarum facies ob magnos quos ſuſtinent, labores, pallent; at gloria, quæ illos conſequitur, æternum uiuet. Sed cum laurus fuerit quoque triumphantium uirorum præcipuum decus, et geſtamen, ob immortalitatem ſibi ex præclare geſtis rebus comparatam, quis non uidet lauream hanc CICCÒ præſidi noſtro tribui debere neq; ſolum ob fortia geſta quibus inſignis exiſtit: ſed etiam ob plurimos labores in poetis ſtudijs ſumptos. Inneſcite ergo Academici ſolertiſſimi ex utraq; planta corollam tanto principi ad indicandam eius ingenij præſtantiam, ſolertiamq; in rebus agendis, eoq; maiorem inneſcite, quo ſis fortitudine, temperantiã, & animi magnitudine; tum doctriã, & optimarum artium ſtudijs, & humanitate, & induſtria cæteris noſtræ ætatis principibus longe antecellit.

CVR POETAE MONTIBVS ET SECESSV DELECTANTVR PR. VII.

TARQUINIUS PECTIVS IOAN. ALPHONSI F.

TRIARIVS.



VEREOR, ne id mihi cõtingat, quod anulo poſtremo magnetis uirtute tracto. Ferunt enim plures anulos ordine poſitos magnetis uirtute alterũ poſt alterũ attrahi, ſed eos qui propius aſtant, celerius, legnitus uerò, qui longius, omniũ tardiffime, qui ultimo loco poſitus eſt. Explicauere Academici noſtri, quæ ipsis contingere problemata & doctæ, & elegãter. At poſtremũ hoc, quod mihi oblatũ eſt, uereor ne tanquã poſtremus anulus, lente perſequar. Adnitatur tamẽ ſedulo, ne uobis dedecori me fuiſſe prædicent. Eſt igitur Problema. CVR POETAE MONTIBVS ET SECESSV DELECTANTVR. An id fieri ea de cauſa putadũ eſt, quòd edita loca, ut quæ uentorũ ſtatu aſſidue agitantur, ſalubriore cælo fruuntur, conſtat enim perſpicaciora fieri ingenia, ubi eſt aer tenuis, & purus, contra hebetiora, ſub craſſiore cælo, & quo nebulae, & uenenatorum animalium peſtiferæ auræ pertingunt, quo uitio humiles regiones, & depreſſæ ualles laborant. Hinc conſtat Athenienſes ob loci tem-

P periem

periem summis fuisse peditos ingenijs, contra Bœotios ob cæli inclementiam male audisse. Poetis igitur qui sublimia contemplantur, nihil magis optandum est, quam cœli clementia, ac loci salubritas, ut spiritus ad poemata componenda melius excitentur. Propterea & Musæ montes incolere dicuntur. Huc accedit, quod editiora loca non solum ab humidis, & fœmidis uaporibus procul absint, sed etiam Phœbi lumine sepe illustrantur, calentq; , quæ res facit, ut qui Phœbo sacri existunt, ad eius uires quod proprius accedunt, eo magis diuino numine affari se posse existimant. Et Cicero perspicaciores existere censet eos, qui ad orientem solem habitant, quam qui ad septentrionem non aliam ob causam, nisi quod a cœli mētis ex calore ortum habet, uires que suscipit. Aristoteles quoq; asserit eos, qui calidis in locis degunt sapientiores esse, quam qui in frigidis. Vnde multo maiora, & uetiora contempleri licet æstiuo tempore, quam hyemali. Nam ut aeris crassitudine ipsa uis mentis quodammodo hebetari uidetur; sic calore excitatur. Hinc & præcepisse Vitruuium arbitror, ut cubicula ad bibliothecæ usum comparata spectent ad orientem solem, non solum ut clarius, sed etiam ut celerius illustrentur. An eò sit, ut pœtæ loca edita quaerant, quia ut ipsi candore animi præstant, sic salubriores amant plagas pariore cœlo gaudentes. Est enim similitudo simili amicium ex Homeri & Aristotelis sententia. Nihil enim est, quod tam ingenio aduersatur, quam caliginosus aer. Quare optime præcipiant, qui iubent magnam loci, aerisq; rationem esse habendam, quod aer à nobis separari non possit, perpetuoque ueluti connatus adhereat; is enim imprimis lædit, uel quod in modice calidos, aut frigidos, humidos, aut siccos homines reddat. Quod clarissime docet Gal. li. i. de tuenda ualitudine, tum eodem in primùm Hipp. Epid. & Metho. lib. IX. & XI. In Aphor. Hipp. lib. III. & prædictionum Li. i. Et Hippocrius in libello de Aere, aquis & locis. Hunc poetarum in edita loca affectum quid aliud indicare censebitis Academicis, nisi diuinarum rerum studium, in quo acquiescunt? Quid recessum? nisi humanarum rerum contemptionem, quas ceteri admirantur? Hinc & Musæ dicuntur alta Heliconis incolere cacumina, uel quod disciplinarum studiis deditos à corporeis contagiis, & à terrenis curis abhorrentes esse oporteat; uel quod solitudo sit contemplationi apprimè necessaria. Neque aliud Helicon significat, nisi rerum omnium seriem & conuolutionem, quam disciplina complectuntur; per quas sapientia computatur inuolubilem, & in se se circumuoluentem significat. Et si non ignoro Helicon pulchritudinem illam, & oculorum in se conuersionem significare, quæ sapientiæ propria est. Nam in eum, qui sapientiæ ceteris antecellit, omnium oculi conuertuntur. Vnde ἐλικώπιδα ἀστὴρ appellat Hom. pulchram puellam, quod in eam omnium oculi conuerti soleat. Duos uero Heliconis uertices studium, & laborem significare putabimus. Nam sine studio & ardore quodam amoris nihil in uita fit egregium. Neque quidquam sine labore uita dat mortalibus. Adnitimini uos quoque Academicis solertissimi secessus incolere. Nihil enim tam Musarum alumnis aduersatur, quam hominum cœtus, ac strepitus. Hic licebit diuina illa, in quibus solis animus acquiescit, secure, & quietè contempleri, & humana hæc quibus animus irretitur, fortiter aspernari. Aspirabit uobis CHRISTVS uerus Apollo, sub cuius signo militatis, qui suam lumine mentes illustrat, recreatque. Sit nobis exemplo CICCVS præses noster munificentissimus, qui Lucullianas ad eas alto, salubrique loco sitas tanquam in Helicone à patre institutas, & in ampliorem formam redactas, magnificentissimis hortis, & fontibus ornatas semper colit. Huius animum regali stemmate insignem, ad amplitudinem & ad imperia natum nulla perturbatio, nulla humana rerum cupiditas à sublimi bonorum contemplatione dimouere potest. Hic ut alta, magnificaque habitaculata; sic mētē ab humilibus abhorret ad excelsa, ad supera illa bona alata habet. Imitamini ergo tam insignē animi magnitudinē, qua Præsidi nostro nihil arduum uidetur.

uidetur. Inspecite hoc exemplar à Deo Opt. Max. nobis propositum, non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum, ut eius gesta sectantes eam gloriam consequamini, qua ipse uiuens fruitur, itaque & in posterum fruatur, ut cum eius laude, & gloria nulla unquam aliorum fama, aut uoluptas sit comparanda.

CALLIOPE ACADEMICOS ALLOQVITVR.

DESISTITE iam tandem ab hodierno labore Academici Solertissimi. Scitis superque laborastis, conquiescendi nunc tempus est. Scitis enim omnem nimium naturæ inimicum, magisque offendere quam parum. Neque quidquam tam placere, quam rerum omnium modum. Quare ut incipiendi fuit ratio, ita sit desinendi modus. Iam fas est animos relaxare, ut alacriores postea ad incepta studia redire possint. Ego, quæ laborum uestrorum curam gero, huc descendi, primum, ut uos ob uestra obsequia, quæ tam alacriter prestistis mandato meo, magnopere commendarem, & simul commonefacerem, per gratiam mihi fuisse solertiam, ac eruditionem uestram, quam in problematis à me propositis accurate explicandis adhibuistis. Ea enim ad eò argute, ad eò doctè enodastis, ut nihil argutius, nihil doctius dici possit. Quamobrem in tuo pomò unumquēq; uestrum mea & omnium Musarum, atque ad eò Apollinis ipsius sententia dignissimum statuo, atque confirmo. Eademque de ratione ipsa meis manibus cuique ex lauro ederaque corollas innedam, ut uestra studia consequatur, penname metuentes solui uestra tollat nomina fama superstes. Ea me res quæ hac libentius compulsi, ut uos commonefacerem, Apollini. Musisq; omnibus nihil exitisse gratius, quam laudes, quibus hodie CICCV M. LOFFREDAM Treuici regulum munificentiss. prosecuti estis. Is enim ille noster alumnus est, quo Parthenopè nihil habet humanius, nihil illustrius; nihil in consilijs de maximis rebus agendis sapientius, nihil in bellis gerendis fortius. Hic pluribus de causis est uobis maximis afficiendus honoribus. Tum quod FERDINANDVM patrem habuit Principem clariss., cui non in deliberando consilium, non in prælio uirtus, non in beneficio magnanimitas desuit. Tum quod ad paternam gloriam per multas ipse animi dotes, & uirtutum ornamenta addidit. tum quod CAROLVM fratrem habet cuius splendor, & animi præstantia omnium heroum facta exsuperat; denique quod ex D. LVCRETIA CAPVA. Muliere primaria & generis claritate, & uirtutum magnitudine ampliss. FERDINANDVM suscepit optima in doli, & magnæ spei filium, qui tantam de se in hac tenella ætate expectationem concepit, ut nemini dubium sit: Hunc & aui, & patris, & patru atque ad eò omnium maiorum uirtutes in se uno simul esse coniuncturum. Agite ergo magnanimi Academici assurgite primum tanto Principi: Deinde Laurea, Triumphalique ornamento decoratum laureos ramos de more gestantes in Lucullianum tanquam in Capitolium deducite. Ipsa dux, & comes adero, Meritas in uia canite laudes. Deoque gratias agite ob talem tantumque Principem, quem, ut uestris studijs præesset, tam benigne uobis exhibuit.



ACADEMICA
CVM ALIQUA AD EPISTOLAS.
PERTINENTIA EXPLICANDA ESSENT.

OCTAVIVS LANFRANCVS CAMILLI F.
HAEC PRAEFATVS EST.



ANTECVRSOR.

VANTA sit in luscinia uocum uarietas, quam iucunda suauitas, quam pertinax spiritus, ut in ea sola musicae scientia inesse uideatur, nemo est, qui nesciat. Verè licet rerum parentem naturam non minus in partibus, quam in magnis admirari. Quis enim est, qui in tam exiguo corpusculo tam modulatum sonum, & tam uehementem non suspiciat, cum is modò continuo spiritu, ut inquit Plinius trahatur in longum, nunc uarietur inflexo, nunc distinguatur conciso, nunc copuletur intorto, nunc promittatur reuocato, nunc infusetur ex inopinato? Quid cum secum ipsa murmurat? quam plena, quam grauis, quam acuta, quam crebra, quam extenta modulatio? Atque ubi uisum est, sonus ipse ut uibrans, ut summus, ut medius, ut imus exauditur? Quamobrem nemo est, quem non in maximam admirationem traducant paruulae illae fauces tam modulate omnia exprimentes, quae uix exquisitis tibi arum tormentis ars hominum excogitauit. Taceo Lusciniæ Græco, Latinoque sermone insignes, quales Drusum, & Britannicum Claudij filios habuisse ferunt. Præterea Lusciniæ illam, quam scribunt in Stesichori infantis ore cecinisse, illiusque poetae sermonis suauitatem praeostrasse. Ob tales igitur, tantasque & naturæ, & uocis dotes nescini mirum uideri debet, si seruorum illis apud præcos fuerint pretia. Quorum tam multa de luscinia? ut uos commonefacerem, si tam pusilla auicula tanti semper habita est, habeturque apud omnes ob inanem uocis sonitum, quo hominum aures permulcentur, idque uerbo tantum tempore efficiens, aut ineunte ætate: quid de nostris hisce Lusciniis suauissimis hyemali quoque tempore canoris, quæ non solum aures, sed etiam mentes oblectant, uos acri iudicio præditi existimabitis? An non eas singulari beneuolentia complectemini? An non in maximo estis honore habituri? Adeste equo animo, & hilare, & libenter primis ipsarum concentibus aspirate? Quod si benigne dabitur, per multa ad litterarum inuentionem, & ad salutationem pertinentia ex abditi præcorum monumentis deprompta, neque auditu iniucunda percipientes non solum magna lætitia affecti, sed etiam docti hinc proficiscemini. Neque enim in aliquam earum uerè illud obici poterit. Tota quidem uox es, præterea nihil. Adeste, inquam, alacri animo humanissimi uiri: uideo enim CVRTIAM Lusciniam ad uestras omnium aures & mentes suauissimo cantu demulcendas iam accinctam, atque paratam.

LECTIO

ALTERA. LXXXI
LECTIO PRIMA IN CICERONIS EPISTOLAS
QUAM PVBLICE PRONVTIAUIT.

PAVLVS CVRTIVS IO. ANDREAE SACRI SENAT. NEAP.
PRAESIDIS AMPLISS. AC SAPIENTISS. F.
PRIMIPILVS.

YTHAGORAS admirabili sapientia insignis, tantaque doctrina nobilis, ut etiam sine ratione eius ualeret auctoritas. Viri clarissimi, & commilitones præstantissimi: Pythagoras (inquam) Italicæ philosophiæ, & philosophi nominis primus inuentor humanam hanc uitam comparare solebat frequentissimo Græciæ Emporio, quod suo tempore maximo apparatu celebrabatur. Ut enim illuc alij emendi, aut uendendi studio ducti undique conmeabant: alij ut corporis, & ingenij uires exercerent, ostentarentque: quidam ut cibo, potuque exhilarati uentri, ac palato satisfacerent: permulti denique ut aliena facta spectarent, diiudicarentque: Ita in hac nostrâ uita, quæ Emporium quoddam est, alij pecuniæ dediti in auaritiæ labem incurrunt: quidam magistratus, dignitates, honoresque nimium affectantes ambitiosi habentur: plerique uoluptatis illecebris deliniti, atque affecti Philoxeni, ac Sardanapali uitam amplexi effeminati, mollesque appellantur, turpitudinisque notis omnibus sunt insignes. Quidam denique, cætera omnia parua ducentes, rerum diuinarum, & humanarum, causarumque, quibus hæc res continentur, contemplationem sectantes una uoce, eodemque consensu ab omnibus quam maxime commendantur. Hos solos sapientes, hos diuinos homines solemus appellare, hos maximis laudibus prosequimur, hos denique singularem beneuolentiam complectimur. In talium uirorum numero cum ipse quoque eiusmodi Emporij particeps haberi magnopere expetam, contemptis rebus illis, quas cæteri uehementer optant, & admirantur, eas tantum amplecti malui, quibus homo homini præstat, & ad diuinam amplitudinem quam proxime accedit. Nam quid est liberalium artium studij honestius? quid præclarior? quid homine dignius? Hæc sunt illa studia, quæ adolescentiæ alimenta suggerunt, senectuti oblectamenta: hæc secundis in rebus ornamento sunt, aduersis per fugium, ac solatium præstant: hæc delectant domi, non impediunt foris: hæc immortale nomen, hæc diuturnam gloriam hominibus comparant. Quamobrem cum in humanitatis studij patris Iussu à teneris uersatus essem, existimaui non præter rem esse me hodie facturum, ut ingenij, & industriæ meæ signum aliquod efferrem, si coram tam præstantibus uiris aliqua pronuntiarerem, quæ à præceptore meo prælegente excepi, & quæ ipse legendo consequi potui. Idque eo libentius feci, quod cæteros commilitones optime animatos ad eadem peragenda perspicio: apud quos nulla hortatione est opus, cum toto pectore, remisque ad optimas artes percipiendas incumbant. Sed incubite adolescentes eruditissimi, ut facitis: festinate uiri (scio me currentes incitare) ut & urbi nostræ, ubi optimarum disciplinarum abunde florent studia, & parètib; qui pro uestra eruditione nullis parcunt laboribus, nullisque sumptibus, & IOAN. BAP. RINALDO præceptori nostro, qui tam diligenter, tamque benigne ad optima quæque nos ducit, abinde satisfiat, ne cum omnia ab his large suppeditentur, ipsi uobis defuisse uideamini. Sed iam tempus admonet, ut quod impositum est, libenti animo persequar. Ciceronis epistolas explicaturus operæ pretium me facturum arbitror, si antequam auctoris ipsius sententiam, uerbaque attingam, primum explicauero, quid sit epistola decet enim, cum de re aliqua tractatur, orationem à definitione proficisci. Tum unde epistolæ nomen ortum dixerit: Quoties sint eius genera, & in quot partes consumi soleat. Quæ si non omnia oratione mea consequi potero, aliquem ex commilitonibus

P 3 ea per.

ea prolequenturum esse scio. Est igitur epistola (sic enim eam vulgo definiunt) certa rerum nostrarum nuntia, fidaque mentis nostrae interpres, certiores abfentes faciens, si quid eos scire aut nostra, aut ipsorum intersit. Quam rem Cicero his verbis uidetur confirmare. Illud quod est epistolae proprium, ut is, ad quem scribitur, de ijs rebus, quas ignorat, certior fiat, praetermittendum non puto. Sed definitio haec, quae vulgo circumfertur, non exacte mihi uidetur assignata. Non enim solum epistola est rerum nostrarum nuntia, sed etiam alienarum, neque solum priuatarum, sed etiam publicarum. Propter hanc causam mea quidem sententia, dicerem epistolam esse tam priuatarum, quam publicarum rerum nuntiam, sic enim definitio cum se ipsa, quae definitur, facile conueniet, est enim definitio propria, omnes definiti partes complecti. Verum quis primus epistolae conscribendae auctor extiterit, incertum est. Sed quis hoc ex uetustatis monumentis eruere poterit, quando de litterarum inuentoribus apud auctores tanta est contentio? Sunt enim qui eas tribuant Aegyptijs, quibus Mercurium primum litteras dedisse scribit Diodorus; quidam Assyrijs; per multi Aethiopijs; complures Phoenicibus ascribunt. Nec minus Eusebius refert Moysen primum litteras docuisse Hebraeos atque ex his accepisse Phoenicas, de Phoenicibus Graecos, ex his denique Latinos. Primas litteras fuisse Chaldaicas asserit Philo, earumque Abrahamum extitisse auctorem, eisdemque Phoenices Assyriosque uos esse, & si quidam asserunt Rhadamantum quendam Assyrijs litteras dedisse. Nec minor apud auctores uarietas est, atque inconstantia, quis primus eas in Graeciam inuenerit. Nam quod ad gentes pertinet, tribus id praecipue ascribitur, Phoenicibus, Syrijs, & Hebraeis, tamen si easdem has esse contendat Eusebius. Quod uero ad priuatos Graecarum litterarum inuentores pertinet, per multos fuisse comperio. Cadmum omnes ferè primum obijciunt, quem a iunioribus se cum litteras ex Phoenicia in Graeciam inuexisse, illisque postea à Palamede ex graui uolatu quatuor in Troiano bello additas esse & totidemque à Simonide & qua de re plura refert Pli. lib. VII. cap. LVII. in terque ceteros inuenio Phoenicem, Danaum, Cecropem, Atheniensem; Linum Thebanum Epicharmum, Prometheum, Callistratum Samium, Iridem, Anubim. Neque desuere, qui eas Musis acceptas retulere tanquam disciplinarum omnium praesidibus. Sed Ioannes Zetes magnae uir editionis, singularique ingenio praeditus, magno argumento contendit neque Cadmum, neque Palamedem, neque Phoenices litteras in Graeciam inuexisse, cum ante horum aduentum apud Graecos litterae, & graecae orationes extiterint, quod confirmant & oracula, quae ignorarentur, nisi litterae extitissent, & illud responsum praesertim, quod Cadmo ipsi redditum fuit, quod inter cetera collegit Rinaldus noster in Apollinis Familia. Videtur & Zetes sententiam Plinius confirmare, cum asserat se arbitrari litteras semper Syrijs fuisse. Sed cur eas ad Adamum protoplastam omnium rerum, ac scientiarum notitia praeditum non referendas putamus? uel saltem ad filios Seth, qui, ut testatur Iosippus, duas columnas erexere, in quibus Astrologiam ab ipsis inuenta scripta reliquere? Quidquid sit, in tot tenebris inuenio tamen apud praefatos septem litterarum formas praecelluisse. Hebraeas, Graecas, Latinas, Syrias, chaldaicas, Aegyptias, & Geticas, quod confirmat & Crinitus, qui in septimianae bibliothecae uetusto quodam codice testatur hos uersus inuenisse,

*Moses primus Hebraicas exarauit litteras,
Mente Phoenices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scripturamus, edidit Nicostrata.
Abraham Syrias, & idem repperit Chaldaicas,
I sis arte non minore protulit Aegyptias.
Gulsila prompsit Getarum quas uidemus ultimas.*

Quarum

Quarum ferè omnium constat characteres esse mutatos, neque eosdem esse nunc, qui apud praefatos fuere. Testatur hoc praefata Etruscorum litterae, quae adhuc in uetustis monumentis cernuntur, sed penitus incognitae, quae antea magno in honore apud Romanos habitae fuere, ut Luuius, & Plinius referunt: sed postea obsoletis illis in earum locum Romanae subiere, cum Romanus populus ceterarum nationum dominus Latinis litteris eas uti uellet. Eademque de ratione Hispanorum, Gallorum, & Germanorum ceterarumque gentium litteras intercidisse putabimus, Romanis characteribus introductis. Sed ut nihil est sub sole perpetuum, Romani quoque characteres immutati sunt una cum lingua Gothorum, Longobardorum, & Francorum commercijs, ceterorumque Barbarorum, qui Italiae uastitatis auctores extiterunt. Sic & Hebraeorum litteras in captiuitate Babilonis defecisse constat, eorum lingua à Chaldaeis corrupta. Neque desunt tamen, qui eas semper in eadem forma permansisse dicant, sed aliquando mutatas in eadem denuo figuram fuisse restitutas. Simon uero quidam Eleazaris filius neque characteres, neque linguam Hebraeorum ullo tempore immutata esse affirmat. Legimus apud praefatos morem illum extitisse, ut omnis aui res gestae, ac memoratu dignae memoria tenerentur, patresque liberis res ante actas narrent, quod Lucanus testatur his uerbis,

Cognita per multos docuit rudis incolae patres.

Sed ante Lucanum Virgilius de hac re Latinum regem ita loquentem facit.

Atque equidem memini (fama est obscurior annis)

Auruncos ita ferre senes.

Nam antequam historiae scribi coepissent, tam apud Hebraeos, quam apud ceteras nationes, maiores natu minoribus narrabant, uel quae à patribus acceperant, uel quae suis temporibus memoratu digna contigerant. Hinc multa ignorari necesse est, cum litteris mandata non fuerint, quas posteritatis causa inuentas fuisse Cicero asserit, ut obliuionis subsidio esse possent. Unde Horatius,

Vixere fories (inquit) ante Agamemnona

Multi, sed omnes illacrymabiles

Urgentur, ignotique longa

Nocte, carent quia uate sacro.

Sic & Cicero, exempla multa, inquit, iacerent in tenebris, nisi litterarum lumen accederet. Neque aliam ob causam Tritonas cum buccinis in aede Saturni superpositos fuisse scribit Macrobius, nisi quia à Saturni tempore historia scribi coepta est, atque uocalis effecta, cum antea muta, atque incognita fuisset. Et quoniam in litterarum mentionem incidimus, earumque inuentores, non iniucundum fore arbitror, breui oratione perstringere, quibus in rebus eas praefati effingere consueuerunt, scribendi quoque mores aliquos quibus uarios populos usos esse comperimus. Fuit igitur uetus mos scribere in palmarum folijs: unde illud poetae. Folijs tantum ne carmina manda: uel in arborum corticibus, ut fraxini, Platani, aceris, populi albae, fagi, ulmi, tiliæ, ut testatur Virgilius: cui pastorem ita loquentem facit:

Immo hac in uiridi nuper quae cortice fagi.

Carmina descripsi & modulans alterna notasi, Experiar.

Cuius interior ille cortex, in quo litterae scribebantur, liber appellaretur, libris nomine dedisse fertur. Fuit quoque antiquissimi moris publica monumenta plumbeis uoluminibus, priuata lineis describere. Inuenio quoque in usu fuisse papyrum coactam ex arbutula quadam eiusdem nominis, in Aegypti paludibus admodum frequentem, quam char tam farinam glutinabant diuiso papyro in praetenuas, sed quam latissimas phyluras. Hac

Alex.

Alex. magni uictoria fuisse repertam auctor est, M. Varro, condita in Aegypto Alexandria, quauis alij etiam Numæ regis temporibus cartharum uisum fuisse contendat quorum genera expressit. Plin. lib. XIII. c. XII. Venere postea in usum præter lapides, & marmora, tabellæ quædam cæra illitæ aliquando duplices, plerunque triplices, aut quincuplices colore diuersæ. Nam fieri solebant luteæ, uirides, crocæ, purpureæ. Hinc tabellæ usurpantur pro ipsi litteris, & tabellarius qui eas defert. His succedere chartæ hœdinæ, quas membranas, & Pergamenas uocant, quod Pergami Troadis urbe primum inuentæ fere. Babylonios inuenio in costilibus laterculis mores, leges, & instituta expressisse. Brachmanes in coloratis sindonibus. Huius tandem paginæ excōcritis linteis cōpactæ, qua nos utimur, manauit inuentum Germani cuiusdā Gutemungis opera. Cumq; uariæ res essent, in quibus scribebatur, uaria quoque censendū est fuisse instrumenta formandarum litterarum, ut penicillos, quibus scribebatur in folijs, culzellos, quibus cortices signabantur, arundines membranæ aptas, stylos areos uel ferreos, qui cæratæ tabellis deseriuebāt. scalpellos in marmorū usum, pennas denique paginæ congruentes, & iuncum Aegyptiorum papyro. Colores uerò scriptioni accommodatos fuisse comperio atramentum illud, quod Sepia. effundere solet, ut piscatorum manus effugiat, tum rubrum, post ex fumo confectum, tum ceruleum, deniq; atrum hunc ex arabico gummi galla, & uino. quod atramentum scriptorium, & librarium appellant, quod librarij eo in transcribendis libris uterentur. Nam est & Sutoriam, quo utuntur Coriarij in inficiendis pellibus, quod calcathum quoque dicitur. Quod uerò ex Sepia fumeretur atramentum apud præcos, uidetur id confirmari per se his uerbis.

Tum queritur crassus calamo quod pendeat humor.

Nigra quod infusa uanescat sepia Lympha.

Qua de ratione esse scitum est, ut sepia pro theca atramentaria poneretur. Vnde & atramentum Græci *αντηνιδιν* appellant. Apud eundem poetam fit mentio de arundine, qua in scribendo utebantur antiqui cum ait. Inq; manus chartæ nodosq; uenit arūdo,

Est apud Ausonium A Enigma de litteris, papyro, atramento, & calamo, id tale est. Aut adit interpret tuus, A Enigmatū qui cognitor fuit meorum, cum tibi Cadmi nigellas filias, Melonis albam paginam, Notasq; furuæ sepia, Gnidosq; nodos prodidit. Sed papyrus, cuius paulo ante meminimus, in memoriam reuocat instituta quædam Aegyptiorum, quæ cum ad litteras, de quibus agimus, pertineant, ea recensere non pigebit. Illud iam apud omnes scriptores exploratum existit, Aegyptios litterarum uice arborum, auium, belluarū, ceterarumq; rerum imaginibus usos esse. Refert enim Plutarchus Mercurium, qui primus illis litteras dedit. Ibi primam litteram esse uoluisse, quod hæc uis triangularis in ingressu effigiem referat, qualis A est tam apud Græcos, quam apud Latinos, Sic effingebatur per ouem, per falcem, per stellas tres æqui distantes, quin per Cynocephali simulacrum litteras ipsas intelligebant, quia quoddam eiusmodi simiarum genus litteras scire existimabant. Vnde simul ac Cynocephalus in templum inductus erat, sacerdos illi albiolum, calamum, & sepiam apponebat exploraturus an ex eo genere esset, quod in cultum recipi deberet. Quin eadē exprimeret solebat per iuncorū fasciculū, per sepia & per cribrū illi suppositum, propterea quod iunco, & atramento de sepia exempto scriptabant. Cribri uerò imago indicabat, eum qui litteris operam daturus esset, oportere uictui necessaria sibi primum comparare. Vere. n. dixisse uidetur Zacharias. Si farinam habueris, legem capessere poteris. Nam legis appellatione litteras intelligunt Hebræi, & farinam pro frumento, annonæq; ponere solent. Quare non immerito apud Horatium mercatores clamant, Querenda pecunia primum. Eorundem Aegyptiorum usum fuisse inuenio

ut ni

ut in scribendo à dextera parte in sinistram progredierentur, quem morem tenuere quoque, tenentque Hebræi: contra Græci, & Latini qui à sinistra procurrunt in dextram, ab utrisque dissensere Aethiopes à summo ad inum procedentes. Sed ut de nostris loquar, consuesere præci in aduerso tantum chartæ latere scribere, quæ propter id Syngrapha appellabatur: tum uolumina quod in unum conuoluerentur, quod si quando alterum quoque implebant, opisthographum dicebatur, quod *επιστερ*, id est à tergo esset scriptum, unde Plinius iunior ait in epistola quadam. Electorum commentarios CL. mihi reliquit opisthographos. Sic opisthotonicū morbum medici obii ciunt ei, qui ceruicem retro flectit, & opisthocomæ dicuntur illi, qui comas in ceruicem reiectas gerunt, quales Hecatori assignant. Sunt qui opisthographa appellatas fuisse asserant eas chartas, quibus litteræ inuoluebantur: ueterum enim morem fuisse aiunt epistolas in tabellis, uel in chartis conscribere, easque alia charta, quæ plerunque erat intus exarata integre; deinde lineo sparto obligare, postremo obligare. ea uerò inuolucra ideo epistographa fuisse appellata, quod à tergo inscripta declarabāt, ad quem mitterentur. Adnotat id Lamb. in Horatiana epistola ad librū suum, cuius initiū est. Verumnum, lanumque, super eo carmine. Aut fugies Vticam, aut uinctus mitteris ilderam. Extat apud Ciceronem in epistola quadam ad Trebatium Palimpsesti appellatio. Eius uerba (nisi fallor) hæc sunt. Nam quod in Palimpsesto. (inquit) laudo equidem parfimoniam tuam. quibus uerbis uidetur illum auaritiæ incusare, quod in membrana rafa scripserat. id enim palimpsestos uidetur indicare, *παλιον* enim significat iterum *επι* uerò, uel *δε* radere; Sed Budæus in lib. de Asses, hanc asserit esse chartam deletilem, cuiusmodi ea est, qua calculatores utuntur, iure consulti deletitiā appellant. Parcite uiri humanissimi, & uos Academici eruditissimi: si me eiusmodi in re diutius, ac fas est, immorari uidetis, Nanque extam uberrimo uiridario selecta quædam apum more afferre oportet. Meminit Thucydides Laconica Scytalæ, quam interpres secretioris genus epistolæ fuisse testatur, qua Lacedæmonij uti solebant, cum dissimulare, & occultare litteras publice ad Imperatores suos missas uolebant ne si ab hostibus exceptæ forent, consilia eorum noscerentur. Fuit enim mos apud Lacedæmonios duas uirgas magnitudine pares sibi aptare, quarum alteram Ephori retinebant, alterā Imperatori reddebant, pellicula quadam uirgam uestire consueuerunt in eaque secreta, quæ esse uolebant, scribere; ea soluta in innumeras litteras illico discerpebatur, neque à quoquam legi poterat, nisi uirgæ aptabatur. itaque ephori si quid uellet Imperatorem scire hanc pelliculam è uirga exemptam ad eum mittebant, quam ubi ille suæ uirgæ alligabat, decepta tenatus perlegebat. Hanc uirgam Laconicam uocant eruditi. Aristoteles in Ichacesiorum politia scriptum reliquit, apud Spartanos eum morem inter contrahentes fuisse, ut audientibus testibus, qua de re inter eos conuenisset, palam faterentur, tum scytalam in duas partes scindere, in quibus eorum acta cōscriberentur, harumq; unam contrahentes retinere, alteram testes. Laconicæ Scytalæ meminit quoque Cic. lib. X. epist. ad Atticum. & præter eum Plutarchus in Lysandro, & Suidas *εν τη λακωνικη σκυταλη* Eam pluribus explicat Gellius lib. noctium Atticarum XVII. cap. IX. Fuere apud præcos & alij secretiores scribendi modi. Refert enim Herodotus cum Histieus uellet Aristagoram commonescere, ut à rege deficeret, eum capiti eraso serui fidelissimi litteras inuisse, eundemq; retentum quoad iterum capilli succrenisset, postea Miletum ad Aristagoram misisse cum mandatis, ut eraso capite, quæ in eo scripta erant, legeret, quæ signata defectionem significabant. Illud obiter admonebo. Litterarum seruum apud Plautum in Casina significare eum, qui litteris sit inustus. Idem Herod. scribit in Polyhymniacum Demaratus uellet Xerxis aduentum Græcis indicare: timensq; ne id palam fieret, hanc rem commentum esse, sumptis duarum tabellarum pugillaribus cæram illinc

era-

erassisse, deinde in ligno litteras excuasse, rursusq; cara obduxisse, illudq; ad Laedæmonas misisse; quod ubi illi accepere erassa cara ex Cleomenis filia consilio, de Xerxis expeditione cognouere. Nec minus idem asserit, Artabazum, & Timoxenū cum in aduersis castris morarentur, per sagittas folitos fuisse se inuicem commonefacere. Sagittarum enim postremis partibus pennis obuolutis libelli aptabantur. Fuit & priscus mos scribendi per notas, cum quippiam secretò scribere uellent, unde & Notarii appellationem assumpserunt, quoniam celeri sermone pronunciatas orationes in foro per notas facile excipiebant. Vnde Martialis notarium uelocem appellat, & de eodem ait.

*Curvant uerba licet, manus est uelocior illis,
Non dum lingua suum, dextra peregit opus.*

Consueuisse ueteres per notas scribere testatur Suetonius in Cæsare, cum inquit, Extant ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de rebus, in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit. Quorsum uetusta hæc recensuimus? ut priscorum scribendi mores noti essent, neque solum cum clare, sed etiam cum secreto aliquid exararet. Sed redeo ad epistolam, unde tam longe sumus digressi. Eam à mittendi usū dictam uolunt, id enim ἐπιστάλα græca uox significat, Vnde & Apostolos ad euangelium omnibus propalandum missos eiusmodi appellationem suscepisse putandum est, inde epistolium paruam dicunt epistolam; Adhuc ab epistolis dicebatur ille, qui scribendam epistolarum officio præpositus erat. Morem enim hunc apud Latinos fuisse comperimus, ut uocale prima in ordine aliquot uocibus præposita officium aut dignitas aliqua significaretur. Sic A libellis dicebatur, qui supplicibus libellis legendis præpositus erat; A studiis, qui principis alicuius bibliothecæ præerat, A rationibus, qui libelli computorum magister erat. A calculis qui eiusmodi rerum curam gerebant. A manu, qui nunc scriba dicitur. Sic A pugione, qui ante principem pugionem gerebat. A secretis qui secretò principem alloquebatur. A pedibus, quorum pedibus in comitatu aut in alia re peragenda utebantur. Ab epistolæ appellatione manarunt epistolares uiri, qui formas epistolarum concipiebant. de quibus Iustinianus meminit in l. finali. §. In his autem. C. de temp. appell. Hi alio pacto scripturarii dicti sunt, apud Græcos γραμματικοί, qui simpliciter scribebant concepta ab aliis. Fuere quoque apud priscos Epistallina siue Epistalmata, quas hodie Patentes appellant, sic à mittendo dicta, quarum mentio est in l. Bene à Zenone. §. quæ omnia. C. de Quadrienni præscriptione. Hæc à Liuiio mandata liberæ uidentur appellari lib. VIII. Dec. III. cum (inquit) in hoc statu res ad Ambraciam esset, legati ab Aetholis cum liberis mandatis decreto gentis ad consulem uenerunt. Neque illud præter mittendum puto epistolas modò litteras, modò tabellas, modo codicillos appellari solere. Litterarum discrimina tria fuisse inuenio; Nam præter priuatas fuere & in cancellis præsertim celebres sacrae, Duplicatae, & Laureatae Sacrae, siue honorariae, quæ & condicilli dicebantur ab ipso Imperatore edebantur eius manu subscriptæ, & suo insigni obsignatae. Duplicatae, quæ & Diplomata dicebantur ἀπὸ τῆς διπλάσις id est duplo dictæ, uidentur fuisse litteræ complicatae, & lino traiecto obsignatae ad publici cursus expeditionem concessæ, quæ asseruntur ad parochorum mansiones, ut dispositorum equorum in re acceleranda præferenti sine mora copia fieret. Huius uocis præter Cic. ad Balbum. meminit Suet. in Augusto. cum inquit. Indiplomatibus, libellisq; & epistolis obsignandis usus est imagine magni Alex. ab his non longe absunt, quas hodie patentes litteras appellant, aut bullaspōticias. Laureatae uerò, quæ uictoriae indices à ducibus ad Senatum, aut à præfectis ad Augustos lauro obuolutæ mittebantur. earum sic meminit Liu. cū inquit Litteræ laureatæ

teata à Posthumio sequitur uictoriam P. R. earūdemq; meminere Cornelius Tacitus, Iulius Cap. in historia Maximi, & Balbini. & Lampridius in historia Alexandri. Inuenio quoque Lucullum post deuictum Mitridatem non solum litteras, sed etiam nauem laureatam in uictoriae signum in urbem misisse. Tabellas uerò à litteris non multum diuersas fuisse putabimus. At ipsarum quo ad formam, & figuram, materiaeq; diuersitatem, unde consiciebantur, hæc ferè discrimina inuenio. Erant enim Sigillares Pugillares, Eboreæ, Citreæ: Adhuc duplices, triplices, quintuplices, à numero foliorum sic appellatæ. Sigillares uidentur esse eadem cum signatis, id est signo impressis. Vnde Cæsar. V. ciuili belli. Tabellas signatas dederat & Liu. signo suo impressas tabellas misit. Pugillares uerò quæ & pugillaria neutro genere dicebantur, erant caratæ tabellæ in quibus stylo scribebatur, quarum paulo ante meminimus, ita dictæ quòd pugno contineri possent, uel quòd stylo in his pangendo scriberetur. Harum meminit Plin. cum inquit. Pugillarum enim usum fuisse etiam ante Troiana tempora inuenimus apud Homerum. De Tabellis seu pugillaribus duplicibus meminit Suet. in Aug. cum inquit. Q. Callum prætorem in officio salutationis tabellas duplices ueste testas tenentem suspicatus gladium occulere iussit occidi. sic & Ouid.

Tunc ego uos duplices rebus pro nomine sensi.

Auspicij numerus non erat ille boni.

Ubi uidetur innuere tabellas proscriptionis, quæ proscripto dabantur, cum ipse in exilium propelleretur. Fuere quoque apud priscos Tabellæ ararij, in quas omnium ciuium nomina referabantur, & ubi census uectigalia, multæ, Senatus consulta memoriæ causa scribebantur, & inter has Censuales, in quibus census tantum, & Consulares, in quibus consulum nomina quotannis scribebantur. Est & apud auctores codicillorum appellatio frequens, unde Cic. in epistola ad Leptam inquit. Quæsiui è Balbo per codicillos, quid esset in lege. & ad Q. Fratrem. Hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui. Budeus arbitratur codicillos fuisse diplomata, id est chartulas complicatas, & lino traiectas, obsignatasq;. Vnde apud Lampridium est codicillaris potestas, quæ à Principe conferebatur ad conficiendos codicillos. L. iudices. C. de Dign. lib. XII. Nunc uenio ad epistolarum genera, & partes, in quas epistola consumi solet. Genera plura esse omnes scimus, ea tamen Cicero in tria redegit. Primum enim illud esse statuit, quo certiores facimus absentes, si quid est, quod eos scire aut nostra, aut ipsorum interfit. Alterum seuerum, & graue. Tertium iocosum & familiare. Sed neq; male censuisse uidetur illi, qui omnium epistolarum argumenta ad tria illa referunt genera Demonstratiuum scilicet, Deliberatiuum, & Iudiciale. quæ prima constituunt ij, qui de dicendi arte præcepta tradunt. omnes enim epistolæ, quibus laudamus, uel uituperamus, aut docemus, aut describimus personas regiones, nemora, montes, flumina, conuiuia, ædificia, pompas, itinera, ceteraq; eiusmodi ad Demonstratiuum referri possunt. Sic cum conciliamus, hortamur, aut dehortamur, suademus; aut disuademus, consolamur, petimus, commendamus, petimus in Deliberatiuo genere uersamur; quemadmodum cum accusamus, cum querimus, cum defendimus, cum expostulamus, cum expurgamus, cum comminamur, aut deprecamur, Iudiciale genus attingimus. Epistolæ partes faciunt Salutationem, Exordium, Narrationem, Petitionem, & Conclusionem, quas non omnes interdum adhibere oportet; sed ut res postulat, modò pluribus, modò paucioribus utendum est. Salutio est, qua animus scribentis in eum, ad quem scribitur, significatur. ea uel breuis esse potest, ut cum ad aliquem scribentes ita exordiemur. Amicorum optime. Vel Suauissime fili. Vel plena, qua scribentis, & eius ad quem scribitur, nomina exprimuntur. Exemplum erit. M. T. C. Pomponio Attico. S. P. D. Illud animaduersione dignum uidetur priscos uiros uarijs salutationi.

salutationis modis esse ufos. Vel enim consueuere hanc uocem *χαίρειν* præponere, hoc est Gaudere. Quã postea Plato cõmutauit in *εὐπράττειν* idest Beneagere. Vtranq; completi uoluit Horatius, qui epistolam ad Celsum sic *ἀσπικαυτος* est.

*Celso gaudere, & bene rem gerere Albinouano
Musa rogata refer.*

At Archytas Pythagoram secutus una cum plerisq; aliis eiusdem sectæ prioribus hisce uocibus repudiatis *ὕδαριν* introducere, quod mox alter alteri scribentes uisit- parunt, quorum sententiam Latini quoq; approbantes in salutatione soliti sunt appo- nere. Salutem dicit. Vel plurimam salutem dicit. idq; significauere per tres illas litte- ras S. P. D. Prudentes illi uiri existimarunt eiusmodi salutationem & animæ, & cor- pori maxime accommodatam esse, & simul omnia, quæ bene mortalibus contingere possunt, intra se completi. Quin & Epi curum ferunt, qui uoluptatis assertor fuit, in quibusdã suis epistolis non *εὐπράττειν*, sed *ὕδαριν* præponere consueuisse. Nam quid me- lius, quid optabilius precari possumus à Deo Opt. Max. dari amico, quàm salutem, hoc est, ut inquit poeta ille, ut sit mens sana, in corpore sano? in bonorum numero habentur dignitates, honores, opes, feraces agri, tecta magnifica, census, uedigalia, omnia denique uitam quæ faciunt beatiorum. Sed hæc cum salute ne minima qui- dem ex parte sunt conferenda, quæ nisi aderit, quid illa sunt, nisi angustia, quoties ipsis ex sententia frui non licet? His de causis adducti Romani inter cætera numina Salutem Deam uenerati sunt, cui ædem locauit Iunius Bubulcus censor, qui eam in bello aduersus Samnites uouerat. Idem quoque Salutis augurium habuere, cuius mo- dum Dion. tradit eum fuisse, ut si Deus permitteret, salutem populo posceret, quasi ne salutem à Deo petere fas esset; nisi prius hoc ipse concessisset. Hoc salutis auguriũ Suetonius scribit antea intermissum à Cæsare Aug. fuisse restitutum. Quod & de Claudio refert Corn. Tacitus. Fuit apud præcos salutis Symbolum Pentalpha, Sig- num illud scilicet ex quinque Alpha complicitum, seu ex tribus triangulis, Salo- monis signum corrupte appellant, eiusmodi Sgnum ferunt ab Alexandro Antiocho in somnis datum fuisse, cum præcipit, ut suis militibus tesserã daret *ὕδαριν* quod cum Antiochus in uexillis, ceterisq; militaribus insignibus assuisset, præclaram de hosti- bus uictoriam retulit. Sed signum hoc quid uerius exprimit, quàm quinque illa serua- toris nostri uulnera, quæ humano generi salutem peperere? Hoc est salutis uexillum, hoc ueræ salutis insigne, sub quo qui militat, is certam de Stygio hoste palmam re- fert. Quamobrem qui salutem amico precatur, is CHRISTVM propitium pre- catur. Hanc salutem uobis exopto in meæ exercitationis initio uiri humanissimi, qui me tam diligenter audistis, & qui meis inceptis tam benigne aspirastis. Hæc salus ue- stris quoque rebus semper aspiret, hæc uos, uestraq; omnia prouehat ad meliora. Non ignoro permulta reliqua esse, quæ saluatio iure suo sibi uendicat diligentius excutienda: sed nefas humanissimorum uirorum patientia diutius abuti. Nam dabitur alias explicandi occasio. Præstabit igitur meis ineptijs modum imponere. Illud non præ- mittam, scire enim omnes uolo, esse me uestris officijs adeo diuinctum, ut non mo- do tantæ humanitatis nulla me unquam captura sit obliuio, sed etiam omnia, quæ per me fieri poterunt, liberrime sim præstiturus.

EODEM

CAROLVS BONONIA CAESARIS EQVITIS
OPTIMI ATQVE ORNATISS. F.

De Epistolæ salutatione alteram habuit lectionem.

PRAEFECTVS LEGIONIS.

MARCIÆ.



AGNAM uideo me Auditores celeberrimi, suscepisse pronuntiam, & im- par meis humeris onus. Sed quis IOAN. BAP. RINALDI præce- ptoris nostri mandato & utilia, & iusta imperantis audebit aduersari? Quis eius, qui nos ad tam præclara studia humanissime ducit, & adhortatur, ius- sa recusabit? Verum cum tale, tantumq; munus ab eo mihi delegatum, & à me libe- tissime susceptum ipse mecum reputo, non possum non magnopere uereri, ne impe- ritissimus tiro purgatis præstantium uirorum auribus auditu inuicunda depromam. Equidem cum ipse meo me pede metiar, & cum ingenii mei imbecillitatem non ignorem, sentio quanti sit, coram eruditissimis uiris uerba aliqua exprimere. Illud quoq; me magnopere sollicitat, quod Paulus Curtius, cuius ingenium extra omnem aleam iudico, & cuius singularem doctrinam præcipue admiror, paulo ante permul- ta ad litterarum inuentionem, & ad præcos scribendi mores ex ueterum monumen- tis & doctæ, & ornate, explicauit, tantaq; uenustate, & eloquẽtia, ut nemo uenustus nemo eloquentis id tentare potuisset. Quid ipse nulla eruditione præditus, nullo ingenij acumine munitus, nulla deniq; dicendi arte excultus subsequar post tanti Aca- demici admirabilem doctrinam? Ignoscite quæso uiri humanissimi, si qua me effutiẽ- tem audieritis eruditus auribus minime accommodata. Vestra enim benignitate fre- tus, quoad per ætatem licitum erit, tentabo aliqua ad salutationem pertinentia mea subsequi oratione. Tum reliquis epistolæ partes explicabo, quas uideo ab Academi- co nostro prætermittas esse, ut hac dicendi uicissitudine aures uestræ audiendo defes- se aliquantulum conquiescerent: simul ut & cæteris aliquas suas exprimendi sententias pateret aditus. Clausit is orationem suam cum salutatione, ab eadem ipse lectionis meæ initium capiam. Vos uerò humanitate præstantes uiri hæc quantacumq; sunt, quã do maiora non possum, ita accipite, ut maxima existimetis. Maxima enim eorum sunt quæ ex meo pœnu depromi possunt. Apposuit Primpilus noster lautam, atq; aded pontificiam coenam, neque tamen omnia tanquam edacissimus fagus uorauit, sed reliquit quippiam & Medis, ut prouerbio fertur. Scitis enim ueteres illos uacuum men- sam tolli non permisisse, tum ut aliquid in futurum seruaretur, & ut indicarent, fas esse craftini memoriam tenere. Tum quia urbanum censebant comprimere famem & seruis aliquid relinquere ad eorum seruitutem demulcendam. Iccirco nunc suble- quar ipse quæ de salutatione dicenda reliqua uidentur, qua in re primũ salutãdi præcos mores in congressu colligam: tum quid in Epistolæ salutatione seruari oporteat, ne imperitiæ, aut inurbanitatis, aut adulationis notã subeat is, qui scribit. Deniq; cæte- ras persequar Epistolæ partes. A Egyptios refert Hecateus in salutationibus, antequã se inuicẽ compellerent, Hammonis uoce ufos esse, hacq; appellatione bonũ omen in- ter se precari consueuisse. Scitis enim Hammonem Aegyptiorum Deum arietino ca- pite insignem solem significasse, eiusque cornua nihil nisi solares radios indicasse. Propterea ueteres hunc salutis Deum existimarunt, optimumque esse censuerunt

Q Ham-

Hammonis uoce in salutationibus uti. Ex hac re inductum eum morem fuisse putabimus apud ueteres, ut in marmoreis sepulchris, aut in columnis in uita defunctorum honorem erectis arietina capita incalperentur boni omnis gratia, quasi hoc pacto Dijs Manibus commendarentur. Apud complures nationes uetustus mos fuit salutationem perficere dexteram dexteræ iungendo: Ait enim Varro omnem antiquorum honorem dexterarum constituisse uirtute; propterea Virgilius Aeneam his uerbis querentem facit.

Cur dextra iungere dextram

Non datur, ac ueras audire, & reddere uoces?

Et paulo post.

Sic fatuus amicum

Ilionea petit dextra, læuamq; Serestum.

Idem & Latinum ita Troianos alloquentem inducit, cum Aeneam sibi in amicitiam alsciceret.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

Frequens quoq; hodie est peregre aduenientes amicos, uel hospites dextra excipere, eiusmodiq; salutationis genere primum uenerari. Neque solum se frequens est, talis saluatio, sed etiam uoce. Nam quoties quispiam alteri occurrit, in salutatione se illi manus osculari fatetur. Qui adorabant, ut scribit Hieronymus ad Rufinum, iolebant manus deosculari. Ait enim Plinius esse, quandam in dextera religionem, quæ osculis uersa petitur, unde & Hebræi deoscultationem pro ueneratione usurpant. Quamobrem si cui princeps iratus esset, eius salutatam uenientis osculis manum subtraheret. Hæc consuetudo osculandi manus principibus Augustis primum, postea Põtificibus tantum dabatur: nunc post Hispanorum aduentum per totam Italiam eius modi salutandi forma adeo inualuit, adeo dominatur, ut etiam facinorosos homines ne dum terræ filios (proh pudor) sic compellere necesse sit. Quod uerò Principes ijs, quos odio aliquo prosequerentur, dexteram subtrahere solebāt in salutandi officio, clare ostēdit Ammianus lib. XXI. ubi narrat Nebridiū quendam, qui contra Constantium unus omnium iurare noluerat metu militum, qui ferrum in hominem strinxerant ad Iulianum profugisse, suppliciterq; orasse, ut timoris leuandi causa ei dexteram porrigeret, cui Iulianus: Ecquid, ait, præcipuum amicis seruabitur, si tu dexteram at tigeris meam? Hoc uidetur illud Pythagoricū innuere, *Μη παρτί βραχίονα δέξαι* hoc est Non unicuiq; dexteram esse porrigendam, quo significatur, non temere unumquem que in amicitiam admittendum esse. Perficitur nunc quoque saluatio assurgendo, ut antea fieri solebat, tum caput aperiendo, ut indicetur, omnia etiam arcana manifesta esse ei debere, quem salute impertimus. Si quidem in capite, tanquā in arce mens animæ præcipua pars creditur sedem obtinere, unde etiam sensuum, ac neruorum origo emanat: Quam etiam ob causam, cum quis sternuit, salutem precari, uetustum fuisse legimus, & Aristoteles sternutamentum appellat sacrum, sanctum, & augurale, tum quia ex capite tanquam ex diuina corporis parte ortum ducit, tum quia pro augurio fumebatur, ut refert Plin. Et si quidam non facere auspiciū censebant, sed cum cæpratis augurijs superueniret, illa rata efficere, siue boni præuentia essent, siue mali Homeri exemplo, qui Penelope malum procis imminere ab Vlysse referente Thelemacū sternuentem inducit. sic Xenophonte milites alloquente, eodem tēpore miles quidam cum sternuisset, omen fecit felicissimum, cuius rei gratia militiæ præpositus fuit. Themistocle itidē ad aram sacra faciente, quidam a dextra sternuens, augurium

rium fecit. Hippia sternuenti excussus dens futuram calamitatem portendit. Inde apud ueteres religionem inductam fuisse aiunt, in sternutamentis bonum omen, & salutem precari, quod Tyberius Cæsar mirifice exegisse fertur, ut si quid diri immineret, ea precatione auerteretur. Hæc pleraque alia ad hanc rem pertinentia collegit Alexander lib. II. de dieb. genialib. Cap. XXVI. Sed redeo ad salutationem. Legimus fuisse in more positum apud Romanos in salutationibus excipere osculo obuias mulieres, quod ea de causa factum fuisse inquit Cato, ut exploraretur, an mulieres nimium bibissent. Nam capitale erat Romanis feminis uinum gustare, quæ consuetudo apud Gallos hodie plurimum uiget, & si non eadem de ratione, qua id fiebat apud Romanos. Lacedæmoniorum uerò institutum erat, ut iuuenes seniores osculis impertirent, illisq; erant præmia constituta, qui senioribus sanioribus osculis blanditi fuissent. Refert Plutarchus Aboriginibus in Tyberim inuētis Romam quandam mulierem suasisse cæteris mulieribus, ut naues exurgerent, quod cum illæ fecissent. Aborigines coacti fuere sibi sedes locare, sicque memorie causa instituisse, mulieres osculo excipere. Sunt qui ad Troianas mulieres hunc osculandi morem referant, cum in naues incendia immisere diuinitas, nauigationibus defessæ, ut testatur Virg. AEn. V. Apud Perlas scribit Herodotus morem fuisse in congressu se uicissim osculari saluantes, cum pares essent, quod si ex his alter fuisset paulo humilior, eius genæ osculo tangebantur, at longe inferior humi proiectus superiorem adorabat. Apud Romanos primæ horæ salutationibus dabantur, quod Martialis attigit in Epigrammate, cuius est initium.

Prima salutantes, atque altera continet hora.

Propterea in amplis ædibus uestibula fuisse dicunt, in quibus morarentur, ij, qui mane salutatum uenirent. Tanti enim habebatur ista saluatio, ut ampli & illustres uiri plurimos clientes, & cateruas rogatorum sibi pararent, ut mane salutatum uenirent, & ad forum deducerent, rursumque domum redirent: quam etiam ob causam sportulas singulas cuique dabant. Erat enim sportula, ut inquit Budæus, obsonium, quod diuites Romani saluatoribus dabant, secreto ipsi canantes, constabat ex centum quadrantibus. Eius meminit Luena. Satyra. his uerbis.

Nunc sportula primo.

Limine parua sedet turba rapienda togata.

Et Satyra i. ii. *Non ne uides quanto celebretur sportula fumo?*

Ex Martialis. *Si matutinos facile est tibi rumpere somnos*

Attrita ueniet sportula sepe toga.

Hoc comitandi officium uidetur Martialis magnopere auersari, cum inter cætera uitæ commoda togam raram optet, cum ait.

Vitam quæ faciunt beatiorem

luculentissime Martialis, hac sunt.

Res non parua labore, sed relicta.

Non ingratus ager, focus perennis.

Lis nunquam, toga rara, mens quieta.

Vires ingenue, salubre corpus.

Ubi per togam raram intelligit, ne libere mane togatus superba ciuiliu potentioru limi-

na cogatur salutationis causa adire. Has sportulas Domitianus ad cenam redaxit. Quin & intra domesticos lares fuere liberti, & serui salutatores, qui bis in die frequenter aderat, ut mane saluere, uel serui ualere domino dicerent. Plautus uero Salutigenulos seruos appellat eos, qui iussu domini modò huc, modò illum saluant. At Apuleius salutigenos Deos uidetur appellare eos, qui salutem nuntiant tanquam interpres, & ministri superiorum. Græcos inueni eo more ufos esse, ut maiores, omnesq; qui dignitate aliqua insignes essent, ceteri dignitatis, uel officij causa, quo fungebantur, salutarerent, quia hoc religiosum esse censebant. Apud Romanos ij, qui in poetis uersabantur, poetarum nomine uolebant saluari. Hadrianum, & Seuerum legitimus suis nominibus unumquemque salutasse, & salutantibus salutem reddidisse. In hoc salutandi officio uidetur indutum fuisse, ut nomenclatores libertos Principes haberent, qui nomina ciuium salutantium eis suggererent, quos ita dictos uoluerunt, quod memoriter unumquemque calare, hoc est uocare didicissent. Horum opera utebantur præcipue candidati, ut suffragatorum nomina scientes, eos proprijs nominibus compellere potuissent. Vnde Augustus, ut refert Macrobius, nomenclatori suo de cuius obliuione querebatur, dicenti. Nunquid ad forum mandas? Accipe, inquit, commendatitias: quia illic neminem nosti. Hadrianum refert Spartianus tanta memoria præditum fuisse, ut nomina plurimis sine nomenclatore reddiderit, nomenclatoresq; suos errantes saepe correxerit. Fuit illud quoque in more positum, ut ij, qui Principem saluatum adibant, per ministros seruatorum explorarentur, ne tab ueste ferrum occultassent, quam consuetudinem refert Suetonius Vespasianum omisisse, optimus enim Princeps ciuium beneuolentia septus nullis indiget prædijs, neque accedentes reformidat. Reges Numidarum Regium esse putabant, nulli mortaliam salutem impertire. Nero quoque neq; salute, neq; resalutandi munere quenkum impertiuit. Memoria dignum uidetur illud Augusti, & Alexandri Seneca factum. Nam si quis inter saluandum caput flexisset, aut blandius assentari uisus esset, eum conuicio aliquo male militatum dimittebant. Quæ res monet me, ut ad salutationis officium, quæ Epistola præponitur, tandem recurram. Illud enim in salutatione præcipue retinendum, seruandumque censeo, ut omnis adulatio ablit, sed detur cuique titulus pro eius dignitate. Est enim adulatio maximum uitium, unde innumera oriuntur mala. Tales enim plerumque se esse putantes ij, quibus blandimur, in plurimos incurrunt errores. Quare non immeritò censebat Antisthenes, asserens, satius esse in cornos incidere, quam in adulatores. Hic enim uiuentis animam corrumpunt, cum illi mortui solum corpus læcerent. Neque inuenisse fecisse uidentur Græci, qui adulatores κόρακας appellauerunt, quasi κορακας id est coruos. littera, in λ commutata. Quare in salutatione omnis adulationis suspitio in primis cauenda est, Decet enim amicis modesta aliqua salutatione excitarè, ac delimitè, non adulatione commouere, ac perturbare. Et ut adulatio fugienda est, sic in salutando omnis superbia cauenda. Nam qui quod uult, scribit, plerumque quod non uult, accipit. Cuius rei testis esse potest Menecrates Syraculanus medicus, qui cum sacrum morbum curaret, a deo se efferebat, ut Iupiter appellari uellet. Itaque cum ad Agesilaum Spartæ Regem hoc pacto scripsisset. Menecrates Iupiter Agesilao Regi Salutem, hoc responsum accepit. Agesilaus Menecrati Sanitatem. Quod testantur Plutarchus in Apoph. & Celius Cap. XXXVIII. lib. VI. Cum Darius se Regem ascripsisset, neque eodem nomine Alexandrum honorasset, Alexander rescripsit, ut meminisset, se non solum regi, sed suo scribere. Tigranes cum à Lucullo non Rex regum saluatus esset, quasi eius imperitiam coarctans ipsum talionis pena multauit. Quamobrem præstantem uirum, qui longe cæteris, & uirtute, & dignitate antecellit, aliqua cum obseruantia salutare fas est, non cum adulatione. Præstat itaque Pontificem

San-

Sanctissimum, ac uigilantissimum Christiani gregis pastorem appellare. Imperatorem inuidiosissimum, ac felicissimum totius orbis moderatorem. Regem clementissimum, ac iustissimum. Cardinalem firmissimum pontificatus cardinem, ac robur. Archiepiscopum innocentissimum sui gregis custodem. Equitem magnanimum, ac in primis strenuum uirum, cæterosq; proceres summa uirtute præditos, clarissimosq;. Religiosos deniq; in primis colendos, & multa pietate insignes, summa religione præditos. Hoc pacto omnem adulationis suspitionem uitabimus. Epitheta enim (seu titulos appellare ualeis) diligenti ratione utendum est. Epitheta namq; sunt adiectiua quædam, quæ adti solent aut differentia, aut proprietatis tribuendæ gratia, aut illius uiri ornandi studio, ad quem scribitur. Propterea accurate spectare oportet, quæ cuiusq; sint partes, & quæ cuiq; tribuenda sint Epitheta. Neque enim ad rerum omnium imperitum scripturus, eum recte doctissimum appellabis: neq; auarum munificum, aut timiditate insignem, fortissimum uirum, aut impudicitia labe nobilem, continentissimum. Nec non fugiendæ sunt molles, & fucatae compellationes. Verborum enim mollities non secus, ac uestium luxus grauem uirum dedecet. Mollitudinem saperet, ac quandam animi leuitatem, si ad doctum aliquem amicum scripturi eum purpureis litterarum flosculis, gemmisq; decoratum, aut inauissimo lepore Pegafidum affluenter appellaremus. Illud non prætermittam: esse Epitheta pro ratione rei apponenda. Nam si quid accepturus scripseris, satius erit, eum munificentissimum, quam prudentissimum appellare. Idem si quid consilij expetueris, præstabit prudentissimum, uel sapientissimum, quam continentissimum, aut mitissimum dicere. Item si quid ille optime gesserit, à gestis rebus laudum encomia auspicabimur. Apud præcos ac candidatos rei literariæ auctores epitheta nulla inueniuntur: Illi enim ut moribus, sic & uerbis simplicibus utebantur, dignitatis tantum, uel magistratus nomina, quæ quisq; gerebat, addere consueuerunt. Ita Cicero scribit Cæsari Imperatori. Aristoteles Alexandro Regi. Apollonius Vespasiano Imperatori. S. Quin etiam artifex ad artificem scripturus artium nomina addebat, ut Apelles pictor Lysippo statuario. S. Adhuc scribentis nomen semper præponebatur in salutatione, & si infimæ conditionis uir ad præstantissimum scripsisset. Ut clarissimis exemplis in Ciceronis, & Plinij epistolis uidere licet. Plinij tamen seculo, & Martialis ceceptum est eius nomen præponi, ad quem scribatur, dummodo uir maiore auctoritate præditus esset: quem morem ceteri postea secuti sunt, & à quo neoterici minime abhorrent. Huic rei à Martiale exemplum hoc habemus. Imp. Domitiano CAES. AVG. Germanico. Dacico. Valerius Martialis S. Haecenus de salutatione. Nunc reliquas epistolæ partes percurram breui, satis enim superiq; aures uestras defatigatas esse uideo meas nugæ audiendo. Reliquæ igitur partes sunt. Exordium, Narratio, Petitiõ, & Conclusio. Nam oratoribus confirmationem, & confutationem relinquentes, credo, existimauit Academicus noster, cum illas raro epistola admittat; crebro orator adhibeat, cum eius tota uis dicendi duabus hisce partibus præcipue nitatur. Orationis uel epistolæ initium quod Latini Principium, uel exordium dicant, accommodata uoce Græci προομιον appellant, quasi illud sit ante ingressum rei, de qua dicendum sit. ὀμιον Græci uiam appellant. Sunt qui ἀπο τοῦ οἴκου deductū uelint, id est à cantu. Nam ut Citharæ cædi pauca quædam, quæ ante legitimum cantum inchoant emerendi fauoris gratia, proœcium appellauerunt: sic oratores ut inquit Quintilianus, ea, quæ priusquam causam exordiantur, ad conciliandos sibi iudicum animos præloquuntur, eadem appellatione signauerunt. Id ea de causa orationis initio apponitur, ut auditorum animos nobis conciliemus. Est igitur Epistolæ exordium principium, per quod eius ad quem scribit animus constituit, uel apparat ad ea, quæ scripturi sumus. Quod uel a ptis rationibus ac uerbis fieri solet, uel dissimulatione quadam, & circuitione uerborum, quæ posterior exordij forma insinuatio à

Rhetoricæ artis scriptoribus appellatur. Dicerem quibus ex rebus deduci solent exordia, earumque exempla subderem ex Cicerone, nisi temporis angustia me id facere prohiberent. Illud non præmittam uulgare exordium semper esse fugiendum. Quale illud erat apud præfatos. Si uales, bene est, Ego ualeo. Quod & si à Cicerone interdum usurpatum uidetur, tamen eius quoque tempore ab usu recessit. Exordium narratio excipit, Nam maxime naturale uidetur, & fieri frequentissime solet, ac debet, ut præparato per exordium auditoris animo, res de qua scribi oportet, indicetur. Ea est rei, uel acta, uel agenda expositio. Verum eam non solum negotij explicationem esse uolunt, sed etiam personæ. Ut est illa Ciceronis. M. Acilius Palicanus humili loco, Picens, loquax, magis quam facundus, tum etiam loci. Ut illud. Oppidum est in Helle ponto Lampacum. Tum temporis, ut illud Virg.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris

Incipit, & dono diuum gratissima serpit.

Denique & causarum, quibus historici frequentissime utuntur, cum exponunt belli, seditionis, ac pestilentia causas. Sed hæc, permultaque alia ad narrationem pertinentia, & quomodo decet esse breuè, dilucidam, ac uerisimilem dicendi artis magistris tradenda relinquimus. Petitiō uerò est uerecanda officij, aut beneficij, aut uenæ imploratio. Hæc pars in epistolis plerumque adhibetur, cum hortamur, cum precamur, & cum aliquem commendamus, in ea modestos, ac parcos esse decet, non peruicaces, non profusos. Quod ex Ciceronis formulis cuique patere potest. Quatuor in petitione seruanda præcipiunt, ut honesta petantur ab amicis, ut fieri possint ab eo, à quo petuntur. Ut indicetur modus, quò fieri possint, postremo, ut addatur gratiarum actio, quæ res apud Ciceronem in omni petitione accurate obseruantur. Restat conclusio, quæ artificiosus est epistolæ terminus. Hæc id, quod maxime optamus dictum, factum uel uolumus, explicamus. Epistolam claudit distinctio VALE, ut apud Græcos *επιπαι* ut finis cum principio consentiat. Nam ut saluere aliquem dicimus in ingressu, sic ualere in discessu reponimus. Ei uoci & si raro addit aliquid Cicero: nihil tamen prohibet, aliquid addere, ut, Vale, & me, ut facis, ama. Vale familiaris nostræ cōlumē, Vale urbis nostræ sidus clarissimum. Illud reticendum non est, quod magnæ laudi tribuitur. Claudendam esse epistolam insigni aliqua sententia, quod crebro à Seneca, & à Plinio usurpatum uideo. Ut in illa ad Cornelium de institutione pueri, & de præceptoris officio sic concludit. Proinde sanentibus Dijs tradere eum præceptoris, à quo mores primum mox eloquentiam discat, quæ male sine moribus discitur. Vale. Conclusioni additur loci, & temporis explicatio. Locus in genitio, uel in ablatiuo exprimi solet, sic, Datum Romæ, Neapoli. Ex Urbe, ex officina nostra litteraria. Vbi subauditur epistolium. Vel Data in plurali, tunc Litteræ subaudiuntur. Sed plerumque hæc uox non apponitur. Tempus ablatiuum sibi uendicat. Vel accusatiuum cum AD, ut Kal. Ianuarii, Nonis Decemb. Idibus Martiis. Sic etiam V. Nonas Quintilis uel ad V. Non. Indifferenter posita inueniuntur, & si aliqui per accusatiuum incertum tempus significari asserant. Exegi breuibus, quoad potui, epistolæ partes, & antea excurrere per antiquos salutandi mores in quibus recensendis si qua ad recentiores spectantia prætermisi, ea me consulto omisisse censebitis. Sunt enim adeo in promptu, ut explicatione non egeant: Neque desunt, qui de ea re accurate scribere, quorum libri omnium ferè manibus teruntur. Quapropter finem dicendi facio. Atque in orationis meæ extremo, quando de salutatione egi, ob tantam benignitatem, quam in me audiendo adhibuistis, opto uobis pacem illam, quam CHRISTVS Pontifex noster ut omnium optimarum rerum, ac morum uerus dux, ac instructor, ita & salutationis magister sapientissimus Apostolis suis præcepit, ut quocumque ingrederentur impertirent. Et quam

quam ipse cælum scandens ijs reliquit, quos sua doctrina dignos existimauit. Hanc igitur pacem precor dari uobis, coniugibus, liberis, omnibus denique familiaribus, clientibusque uestris à CHRISTO bonorum omnium largitore munificentissimo ut qui me in pace, tranquillaque mente attendistis, in pace hic uiuatis, æternaque pace in cælis suprema post facta inter beatas mentes frui possitis.

HIERONYMVS SCORCIATVS CAMILLI F.

HIS VERBIS GRATIAS EGIT.

TIRO.



OLLEM uiri ornatissimi falsa opinione ducti arbitraremini huc me progressum esse uel docti alicuius auctoris scripta explicaturum, uel graui aliqua de re dicturum. Non enim tanti sum, ut id conari possim. Precaturus uenio uobis omnibus prospera, & salutaria CHRISTI hæc Natalitia, quæ Christiana Resp. nunc non minori apparatu, quam lætitia celebrat; cum hinc hominum salus ortum duxerit. Siquidē nisi CHRISTVS humani generis tutela, ac præsidium tenuem hanc humanam uestem indutus esset, atras Orci fauces homo nunquam effugisset. Precor igitur uobis ob tantum in nostros academicos collatum beneficium celebritates istas felicissimas, quas uos agere uelim maiori lætitia; ac præfati Romani iisdem temporibus Saturnalia celebrabant, quo exploratior est nobis Christiana religio, quam Romanis Saturnia uanitas, ac superstitio. Sed nemini mirum debet uideri, si dies isti tam celebres Saturno uirificatori; & aurei sæculi (ut præfati existimabant) fundatori fuerit dicari, quibus seruis & magna frui libertate, & cum dominis cœnare permittebatur. Futurum enim erat, ut eodem tempore magnus ille rerum factor, qui seuerum uinitorum; & agricolam professus est, in luminis auras prodiret, ut Euangelium disseminaret gentibus; hominesque Orco addictos in libertatem assereret, & aureæ ætatis firmam iaceret fundamenta. Præterea si ueteres Principum suorum natales dies quotannis pie admodum, ac hilariter transigebant, quanta pietate, quantaque hilaritate CHRISTI Natalis dies salutis nostræ initium uobis celebrandus sit, dicto nihil opus esse arbitror. Sed facite ut nos quoque seruos uestros huiusce celebritatis Saturnaliorum more participes per uos, per uestram benignitatem liceat esse. Video enim magnifica uestra cæta ob plurima, & maxima apophoreta, atque bellaria, quæ undique ad uos perferuntur, futura esse angusta: uosque anguste sessuros esse: certoque scio tot calathos saccharatis placentulis onustos nauissem uobis esse potius parituros. Quamobrem uocate nostros hosce Academicos, atque adeo uestros seruos; illud meo periculo confirmo esse. omnes in abstergendis mensis, & lancibus Peniculo illo Plautino celeriores, aptioresque; immò aquilonibus uociores dabo. Neque enim tanto turbine illi perflant terras, quanta celeritate cistulas omnes quauis onustas nostri exhauriunt. Valete igitur, nostrique memores estote. Scientes maximas uobis omnibus nos gratias agere, immò ingentes; atque adeo incredibiles, maiores tamen acturos si in bellaria, & copedia, & placegulas uestras saccharatas, per uos facto agmine semel excurrere licebit.

ACADEMICA
LVCIVS RICCA FABII EQVITIS
ORNATISSIMI AC CIVIS OPTIMI F.

Cum aliqua de Comœdia explicanda essent his verbis
præfatus est.



RORARIVS.



VDISTIS ne aliquid unquam niri celeberrimi de coruis salutatoribus, quos tanti ueteres fecisse dicuntur, ut eos maximis pretiis emptos in delictis penè habuerint? vulgatum enim illud est, Cæsari ex Aethiaca uictoria re deunti ciuem quendam occurrisse cum coruo, eum his uerbis salutante. **A**VE CAESAR. VICTOR. IMP. eiusque uocem Principem illum magnopere admiratum tam litteratam auem XX. Millibus nummum coemisse: eandem que salutandi artem cum idem in Psittacis, & picis non aspernaretur, plurimò eiusmodi aues redimendas curasse. Tanti enim Salutationem faciendam censuit magnanimus ille uir, & Imperator, ut etiam ab inauspicatis auibus oblatam non modò non respuerit: sed etiam ingenti pecunia redimendam iudicarit. Ipse igitur cum tot Cæsares, tot Augustos hic hodie adesse uideam, ut aliquid lucri à uestra liberalitate excipiam, salutatores adduco, sed non cornos, non psittacos, nò picas, uerùm cygnos suauissimos, quorum aspectus uiatoribus, & nautis praesertim semper habitus est felicissimus. Scio superioribus diebus salutaricium Lusciniarum concentu uos apprimè delectatos esse: Nihil minus, & fortasse magis spero uos oblectabit cygnorum cætus, qui mox salutaturi hac progredientur. Quod si in eorum sancibus non iam modularum concentum animaduertetis, qualis à senioribus & expectari, & fundi solet (Cygnos enim aiebat Socrates morti propinquos ea de causa suauius canere, quia prauidentes quid in morte boni sit, cum cantu, & uoluptate ad eum, cuius ministri sunt, migrationem parant) tenella ipsorum ætati ascribendum ducite. Nipper enim ad Caystri stagna concinentibus Asia longe resonauit palus. Spero tamen eò uehementius aures uestras suo cantu demulcebunt, quò iam animis futuram illam laudem concepere, quam uita ipsa incundior em ex dulci concentu sibi comparare student. Sed opus est eorum uocibus studiorum uestrorum Zephyros aspirare. Scitis enim Fauonio flante Cygnos suauius canere; Quod si libenter dabitis, eorù cantum ad seniorum modulationem quam proxime accessisse affirmabitis. Illud uerendum est, ne tot suauissimorum Cygnorum aspectu, qui hic adsunt uehementer commoti strepere potius cogantur, quàm modulari. Propterea nos fauete linguis, ut illi silentio gaudentes concentum, quo uestros animos oblectare cogitant audacter, & hilare aggrediantur. Comica quædam canent, auditu non iniucunda. Manete paulisper.

ALTERA. LXXXIX
DECIVS FRECCIA MARINI EQVITIS CLARISS.
ET SENATORIS NOBILISS. QVI IN SACRO SENATV NEAP.
PRAESIDIS PARTES GESSIT. F.

Hanc de Comœdia lectionem pronuntiauit.

VELES.



VTERES illi, quos omnibus in rebus ceteris hominibus sapientia præstitisse scimus, Academici solertissimi, ut iuuenum animos ab inertia detererent, & ad optimarum artium studia adhortarentur, Atque ne quis Fortuna temeritati se, suaq; committeret, eius effigiem muliebri habitu effinxisse non contenti. (& si hoc satis esse poterat ad illius amentiam indicandam) gubernaculo in manibus posito tanquam humana rerum dominam insignem reddidere. Tum uolubili sphaera insidentem, & cæcam. Hæc si femina est, ex mala re boni aliquid ne quispiam expectabit? Ignem, mare, & mulierem tria mala esse præcipua græca parcemia indicat. Si uolubili saxo innititur, singulari mobilitate, ac inconstantia prædicam esse censëbimus. Si cæca, nostri itineris cæcum ducem habere quid sit, nò ignoratis. Nam ut nauis magnis fluctibus agitata cæco gubernatori haud turò committitur, sic in nita hac nostra in qua multo maiora naufragia domus, quàm nauis ipse in rapidis fluctibus facere solent, non prudentis hominis est, cæca, atque inconstanti femina, quam etiam insanam, & brutam perhibent philosophi, cœnia sua committere. Vnde nemini mirum esse debet, si qui hanc sequuntur, postremo decepti se optimo cuique ludibrio esse animaduertunt, soliq; in tenebris iacentes miseram solitudinisque plenam uitam ducunt. Tum denique sentiunt, quàm fallax sit hominum spes quàm fragilis Fortuna, quàm inanes hominum contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quàm portum conspicere ualeant. His igitur de causis, ut tam instabilem, tam infamam dominam & fugerem, ad litterarum studia tanquam ad Asylum quoddam me conuerti, ut primum per ætatem potui. In his acquiesco, in his optime, honestissimeq; tempus traduci posse existimans, quibus nihil melius, nihil naturæ hominis accommodatius, nihil denique aptius ad Fortunæ inconstantiam tolerandam tradi potuit. Deorum munere, atq; donq; Cumq; niderem non alijs ex scriptis melius hanc rem percipi scilicet, quàm ex Comicis, & ex Tragicis, in quibus uarij sunt rerum euentus, & in quibus tanquam in speculo Fortunæ lulas spectare licet: propterea huc hodie progressus sum, ut aliqua de Comœdia explicarem, idque IOAN. BAP. RINALDI Præceptoris nostri iussu, ne otiosus esse deprehenderer inter tot adolecentes solertissimos, qui honestæ huius exercitationis apprimè sunt studiosi, & quos hoc in emporio maxima cum laude iam pridem uideo uersari. Aspirate uos nouo tironi nunc primum in prælium prodeuntis, ut cum orationis meæ exordio peroratio optime beneficio uestro consentiat. Inter quatuor poetices genera ab Aristotele constituta infimum ferè locum Comœdiam nideo obtinere, ut quæ priuatarum personarum negotia, fortunæq; completatur: Ipse de hoc poematis genere aliqua explicaturus, quatuor excutienda propono. Comœdia ortum, eiusque inuentores, inueniendi causas, Definitionem, & genera. Quod igitur ad primum attinet, sunt, qui Comœdia ortum apud Athenienses primum extitisse asserant. Aiunt enim eos antequam in urbem conuenissent, uicini Atticam regionem incoluisse, & plerunq; circa pagos, & compita canentes scurrilia carmina saltationibus, & commissionibus operam dedisse: eo more ferè, quo paganos

gamos hodie uulgo facere cernimus, atque inde comœdiam ἀπὸ τῆς κωμῶδου καὶ ἀδῆν νῦ cupatam, quod per uicos uagari, & canere significat, emanasse uolunt. Vel ἀπὸ τῆς κωμῶδου τῆς ἀδῆς quod sit conuiuiale carmen. Nam in conuiuio iocoso quodam carmine cinium uitia iuuentus liberius uellicabat, priusquam ars, ac Theatrorum consuetudo inuenta esset. At Aristoteles, cui maior, quam cæteris fides est adhibenda, comœdiæ inuentionem Dorienſibus ex Sicilia profectis, tribuit, & Megarenſibus: quam ob causam Siculi non solum Bucolicum carmen, sed etiam comœdiæ originem sibi uendicant, cuiemq; suum Epicarmum adducunt, & Phormin, apud quos asserunt non solum eius ortum, sed etiam cultum, nobilitatemq; stetitisse, neque id tribuendum esse Chonnidæ, & Magneti, qui post illos uixere, & quos Athenienses antiquissimos apud se iactabant fuisse comœdiæ auctores. Confirmat idem & uoces Dorienſum propriæ. Est comœdia opus dramaticum, quod in actione uersatur. Apud Dores δρᾶμα idem est, quod πρᾶξις apud Athenienses, Præterea quod hi δρᾶμα, Dores κωμῶς dicunt, id est uicos. Unde fit κωμῶδου quod significat per uicos uagari animi causa, quoniam in uicis primum, & in pagis agi cœpit. Idq; à Cæna illi factitabant, ut animum remitterent post negotia diurna, ientatione parua contenti exiguoq; cibo refecti ad largiorem, lautioremq; uictum serò se conuertebant, cum uberior erat epularum apparatus, non sine magno affinium, ac familiarium comitatu, & iccirco cæna dicta uidetur, quia κωμῶς, id est simul, uel communiter uescebantur. Inuentus igitur na cui temporis ocio, atq; licentiâ noctis abusa secura imperiorum uel heri, uel patroni, uel parentum per pagos (nondum enim in urbem conuenerant) excurrere solebant. Inde hos lusus, quos uicacim exercebant, παρατῆν ἀδῆν καὶ τὰς κωμῶς apte: Comœdiam dixere, quod per uicos canerent. Post serò conditas urbes cum aliqui in ciuitate dispectui esset, extraq; moenia uagari cogerentur, in eos maledicta fundebat, unumquemq; nominatim subannantes, Afferit Aristoteles comœdiam initio latuisse quod nullos serè sui studiosos nacla fuerit: Non enim in honore erat, quo aluntur artes. Quare eius initium rude fuisse, ut omnium serè rerum exordia putandum est. Nihil enim (ut ait Cicero) simul est inuentum, & perfectum. Et ut in cæteris rebus usus uenit, ut tempus earum sit lima, & lex; ita hæc politioribus deinde fabricis in artem reducta, certisq; præscripta est limitibus, constitutaq; fuerit loca, & tempora in quibus ageretur. Comœdiam (ut ad inuentionis causas descendam) ut & cætera poetica, duabus de causis fuisse inuentam putabimus, quarum altera ab efficienti ducitur, altera à fine. Homines enim ad imitationem apti sunt, idque habent à natura insitum cum adhuc pueri sunt. Ipsi namq; cum phantasia, quam Cicero uisum appellat, admodum præsent, apti sunt ad imitandum quicquid uoluerint; retinentes enim animo, & cogitatione ea, quæ uiderunt, & audierunt, omnia facile imitari possunt. Hinc fit, ut pueri etiam ipsi imagines, & simulacra quædam effingant ex cæra, & limo: imitentur quoque uoces, & actiones, hominum, cantus auium, omniaq; ad quamdam σκωμῶδου redigant. Præterea afferit idem auctor ea de causa homines à cæteris animantibus differre, quod homines ad imitandum aptissimi sunt, cuius rei bellæ sunt expertes. Hinc Chremes ille Terentianus seruum suum magnopere admiratur, quod uultus hominum apte fingeret. Imitatio hæc, de qua loquitur, tanti mœtri exiſtit, ut per eam facile discamus, eaq; de causa exemplis uti solemus, ut auditorès citius, & facilius, quæ uolumus, percipiant. Neque enim aliud exempla sunt, quam rerum similitudines, quæ multo ante sensui oblatæ sunt. Sic & poetas translationibus, similitudinibus, & comparationibus sepe uti uidemus, quæ ex notioribus sumuntur, non alia de ratione, nisi quia per imitationem facilius discitur. Hæc igitur prior sit ratio, cur comœdia fuerit inuenta. Altera uerò à fine deducitur, id est à delectatione. Nam omnibus insitum est ex imitatione uoluptatem aliquam uenari. Cuius rei

argu-

argumēto esse possunt imagines rerum affabre factæ, quas cum uoluptatē intuemur. Hinc oritur & discendi ratio, quæ res non solum, philophilis: sed etiam cæteris hominibus est iucundissima. Natura enim omnes ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem ducimur, & trahimur. Huiusce delectationis causa effectum est, ut poetæ omnes iucundam orationem in primis affectarint, eamq; non solum metris, sed etiam tropis, ac fictionibus illustrarent. Quæ etiam uia primi uates, quos coluit antiquitas, rudes homines, ac sineſtres in locum unum collegisse dicuntur, & ad ciuilem cultum ex agresti uita traduxisse. Iucunda enim, & uenusta oratione opus erat uoluptatisque plena ad eos conuocandos, qui belluarum more uiuentes, nihil nisi uoluptatem sectabantur. Eademq; de ratione effectum est, ut cum poetæ primi fuerint, qui apud populam concionari, qui docere, qui scribere ausi essent, uetus opinio inhaesisset hominum animis, poetæ omnia scire, & diuino numine afflatos potius, quam humana arte uersus fundere. Itaq; κατὰ λόγον αἰδοί, quasi summe prudentes dicti fuere ab a particula intensiua, & uerbo βιδόναι. Similiter & ποταί, quod uel soli, uel certe primi aliquid dicere, ac meditari cœpere. Et cur arbitramini Academici solertissimi Apollini poetarum duci Lyram traditam esse, & Mercurium ipsum cum testudine inter Musas uersari? nisi quia orationis dulcedo, ac suauitas poetarum propria existit, ad eam soli suo iure sibi uendicare possint. Sed uereor, nedum longum de uoluptate sermonem habeo, in aliquam molestiam uos traducam, quare ad tertium propositum me conuerto. Comœdiam Græci ita definiere. Comœdia est priuatarum personarum, ciuiliūq; negotiorum sine periculo comprehensio, quæ definitio (pace tantorum uirorum) perfecta esse non uidetur. Eam enim non absolutam definitionem esse philosophi statuunt, quæ definitio non conuenit, uel quæ cum cæteris rebus communis est. Nam eiusmodi definitio alijs quoq; fabulis non dramaticis continere potest, quæ simplici actione recitari solent. Deinde in comœdia semper est periculum, aliqui exitus essent frigidissimi. Quid enim aliud est periculum, quam imminentis mali aditio, siue tentatio? Præterea non solum pericula, sed etiam damna ut plurimum inferuntur lenonibus, riuilibus, seruīs, & heris ipsis, qui sæpe male mutantur. Ad hæc prætextatas non liceret comœdiæ nomine appellare: non enim in ea sunt solum priuata persona. Denique hæc definitio Mimi & Satyræ dramaticæ communis existit. Ut hæc absurda uidentur, melior meo iudicio ea definitio censenda est, quæ à Scaligero philosopho nostræ ætatis eruditissimo asseritur, his uerbis. Comœdia est poema dramaticum, negotiosum, exitu latum, stylo populari. Eam Cicero ornatus causa, & κατ' ἐπιτύχον ita definiuit. Comœdia est imitatio uite, speculum consuetudinis, imago ueritatis: quemadmodum cum Historiam laudaret, Eam testem temporum, ueritatis lucem, memoriæ uitam, uitæ magistram, nunciãq; uetustatis appellauit. Itidem cum legem definire uellet, eam mentem, & animum, & consilium, & disciplinam ciuitatis esse affirmauit. Quod uerò ad comœdiæ discrimina pertinet, & genera, triplex eius quoad ætatum discrimen fuisse inuenio. Fuit enim initio Archæa comœdia siue uetus, tum media, denique noua. Sunt qui eam in ueterem tantum, & nouam ipsam distribuant, mediam cum uetere confundentes. Verus comœdia eo tempore uiguit, cum summa potestas apud populum uigeret Athenis, in eaq; licebat illius sæculi poetis risum aucupari ex quocunq; genere iocorum, siue hi facile, siue acerbitate essent aspersi, libenti enim animo audiebat populus quæ in iudicium iniquitates, prætorumque mala, uel facinora, & in prauorum ciuium corruptos mores dicta iacerentur. Id tum impune fuit maledicis poetis. Sic enim abhorrentes animos à uirtutibus ad bonam frugem adhortabantur. Quam rem Horatius ita expressit.

Eupo-

ACADEMICA

*Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesq; poetae,
Atque alij, quorum comœdia prisca uirorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur.
Quod machus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.*

Inuadebat ea licentia omnes ordines, ætates, sexus, conditionesq; impune. eorum postea progressa est, ut neq; bonis uiris parceret; Quod apud Aristophanem licet uideri, & in Nebulis præsertim, ubi Socratem uellicat. Vetus hæc comœdia duabus ætatibus distincta fuit. Prior enim sub Sannyriore fuisse dicitur, cuius nomen primū inter prisca celebrabatur, quo tempore eius partes erant inconditæ, ac personarum introductiones: nec lex erat eius numero posita. Cratinus postea primus partes distinxit, & actus disposuit, & ad tres tantum personas numerum diduxit. Eadem res in meliorem formam ab Aristophane, & ab Eupolide redacta est. Fuit Cratinus acer, & aperto, nudq; telo armatus: Eupolis uerò grauis, & consuetarum nouitate personarū sustinens acerbitalis suæ uenustatē. Aristophanes cum risu mordax, nihil sine facetijs impingens. Successit posterior attritis populi opibus: reducta enim ad paucos potentia, deterruit merus poetas à maledictis simul & chorus sublatus est, cui plerunq; maledicendi partes dabantur Alcibiadisq; lege cautum fuit, ne quis in ciues maledicta ingereret, quod innuit etiam Horatius his uerbis:

*Succesit uetus his comœdia, non sine multa
Laude: sed in uisum libertas excidit, & uim
Dignam lege regi: lex est accepta, Chorusq;
Turpiter obicit sublato iure nocendi.*

Quo etiam tēpore nulla agi comœdia poterat, quia prius à magistratu approbata fuisset; unde cum cætera nihil essent mutata, mansit species prior parte tantum desiderata; hinc Medix nomen ortum est, in qua floruerunt Strato, Anaxilas, Mnesimachus, Epicrates, & Statocles. Alexandri tempore noua exordium sumpsit, & florere coepit. Hæc argumento communi magis ad omnes homines mediocri in fortuna agentis pertinebat, minus amaritudinis, plurimum delectationis habebat, concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententijs, grata salibus, apta metro. Hæc à Menandro initiū sumpsit. Eodemq; pacto apud Latinos comœdia partitionem suscepit. Vetus enim à Liuiio Andronico tractata est, à Pacuio media, à Terentio noua. Difert à ueteri noua multis modis, sed compositione præsertim: pluribus enim regulis obnoxia est, tam quo ad argumentum, quam quo ad dictionem. Hæc solis Iambicis, aut Trochaicis contenta est uersibus. In ueteri complura erant carminum genera; Adhuc noua non adhibet chorum, ut uetus, sed musicam uice chori. Hæc præterea in quinque actus est distributa, prologūq; suscepit, quibus prisca comœdia carebat: neq; ex qualibet re risum captat, quod illa faciebat. Constat tamen ex ueteri nouam ortam esse; Aiunt enim Aristophanem fabulam Cocalum scripsisse, quæ postea uenit regula Menandro ad nouam excogitandam. Comœdias (ut ad earum genera ueniam) ita distinctas fuisse inuenio. Nam aliæ Togatæ, aliæ Palliatæ dictæ sunt: has Græcas, illas Latinas fuisse putandum est, cum Græci pallio, Romani toga uterentur. Rursus ex Togatis aliæ prætextatæ, dictæ sunt seu nobiliores, quod in his prætextatæ personæ, & magistratus, qui prætexta utebantur introduci solebant, uel senatores cum togis. Aliæ uerò cum humiles continerent personas tunica rätum utentes ab habitaculis nomen sumpsere. itaq; Tabernariæ dictæ sunt, quod cum tabernis scenæ disponebantur.

ALTERA:

LXXXXI

ur. Fuere quoq; & Atellinæ comœdiæ, ab his diuersum genus, ita ab Atella oppido dictæ iocosæ, & dicaces. Has cum præter risum nihil aliud aucuparentur, Romani serijs negotijs defatigati, ut animos aliquantulum remitterent, in urbem recepere. Fuit & comœdia Ryathonica ita ab auctore dicta. Fuit & Mimus, ita dicta à nimia imitatione, continebat hæc res obscenas, quas histriones etiam gestu exprimere studebant. Quam ob causam mimicos sales oratori cauēdos Cicero præcipit, propter obscœnitatē. Planipedes quoq; hæc comœdiæ dictæ fuerunt à Latinis, quod histriones planis pedibus sine socco eas agerent. Harū scriptores Mimographi appellati sunt. Deniq; ab argumentis aliæ Motopiæ dictæ sunt, ut Eunucus, quæ turbulenta est. Aliæ Stratiæ, ut Andria, nam quietiore agitur modo. Mixtæ ex utroq; ut Adelphi. Sic pro argumentorum ratione quædam calumniosior, aliæ fallaciaram plenæ, aliæ hilares, & conuiuales dici possunt. Hæc habui, quæ de comœdiæ ortu, causis, definitione, & generibus dicerem uiri amplissimi, quæ si uestrorum ingeniorum magnitudini parua uidentur, existimate puerū maiora asserre non potuissent, cum ex ijs, quæ adolescentulus dare potest, maxima hæc esse non ignoretis.

EODEM DIE.

MARCELLVS CVRTIVS OCTAVIANI. V. C.

ET REGII FISCI PATRONI FIDE ET INTEGRITATE

P R A E S T A N T I S S. F.

De Comœdiæ partibus hanc habuit lectionem.

PRAEFECTVS STRATORVM.

CVM Decius cõmilito de Litteraria Rep. optime meritis Viri præstatiſſ. ex ueterū poetarū figmentis, & doctorū philosophorū sententijs Fortunæ simul lacrum uobis ante oculos proposuerit, & in quæ mala eius incidant comites, plurib⁹ sit profecutus, sua me illustri oratione incitauit, ut aliqua de Mercurij imagine, cuius artibus instabilis Deæ fallacijs obſistere possumus, in mediū affererē. Sic enim spero eius pulchritudine interius perspecta, & cognita, alacrius ad præclaras artes amplectēdas animos uestros accēdi posse. Nihil tamen de caduceo, de talarib⁹, de fistula, & de bipenni dicā, lōgiorē enim hæc orationē exposcerēt. Quod uerò ad eius formā pertinet, referā. Formosū itaq; hūc iuuenē effingūt nō fūco aliquo delibutū, nō cōptū, sed naturali colore conspicuū, hilari facie sic, ut in eius uultu animi uirtutes protinus elucescant, acrib⁹ oculis, cubo denique innixū, que firmissima sedes est, nō uolabilis, ut Fortunæ sphaera. Eius quoq; comites eadē natura præditos faciūt, ac ducē ipsū, omnes singulari modestia insignes, neq; à Mercurij late: e unquā abscedētes. interq; eos præcipatū obtinere Arithmeticos, Geometras, Philosophos, Oratores, Astro nomos. hos uerò sequi pictores, sculptores, plastas, architectos, ceterosq; fabros omnes, quorū opera ingenio, & arte tractantur, hosq; maximo in honore esse, mirisq; laudibus affici, solosq; esse diuites, & felices, cū nō pendeāt ex Fortunæ temeritate, sed Mercurij seruiāt, qui suis sectatorib⁹ certissima pollicetur præmia: Quid hoc aliud indicat? nisi homines uirtute aliqua, aut arte præditos magno in honore apud omnes existere, talesq; fuisse Homeros, Socrates, Hippocrates, & Platones, tū Apelles, Lyſippos, Dimochares, & Archimedes, quos miris laudib⁹ nō uetustas solū, sed etiam posteritas est profecuta. Contra quid Chræso illi Lydio, quid Ptolomæo Auleti, quid Polycrati Samio, quid Dionysio Syracusano, ceterisq; Fortunæ asseclis cōrigerit, nemo est, qui nesciat. Quod cū ita esse iā pridē ex optimarū artiū studijs cognouissē, cōuertit me ad hæc emolumēta, & ornāmēta, ut p̄sidiū aliquod mihi parassē in uita hac tot miserijs obnoxia, quot quotidie experimur, totoq; pectore ad hanc tã præclarā Academiam incubui, ut in ea præstantes illas addiscerē artes, quibus formosus ille Iouis &

R Maia

Maia filius praesidet. Atque cum permulta de Fortunae lusu. i. de comœdia comilito no-
ster ornatissime dixerit aliqua de arte mihi dicenda assumpsi, ut non ignoretur, quo ar-
tificio comœdiam explicari conueniat. Praeclara est doctorum sententia tunc cuiusque
rei exactam notitiam haberi posse, cum ea res non solum tota simul percipitur, sed etiam
cum eius partes diligētissime, ac singillatim inuestigantur, proptereaque duo instrumēta
à philosophis inuenta fuisse, quibus id recte perfici possit. Definitionem, & diuisionē,
cuius uicem interdum partitio subit, quemadmodum & descriptio, quae per accidētia
quaedam fit, definitionis locum occupat, cum aliqua definiti non possunt, quo in nume-
ro uniuersalia, & particularia siue indiuidua, quae logici appellant, esse dicuntur. Cui
igitur ea, quae ad comœdiae definitionem pertinebāt abunde noster Academicus ex-
plicauerit: nunc reliquum esse uidetur, ut quae ad partes spectant, ipse perquirat, cuique
ex partibus alia substantiam, alia quantitatem respiciat, de potioribus primū nostra
erit oratio, deinde ad posteriores accedam, si per tempus licebit. Comœdiate igitur
partes rei naturam pertingentes sex esse statuere possumus ex ijs, quae ab Aristotele de
poetice scripta sunt. Fabulam, Mores, Sententiam, Dictionem, Apparatum, & Melo-
diam. Harum partium exactam rationem hoc pacto licet inuestigare. Scripturū. n.
comœdiam oportet primū rem ipsam inuenire, quae tractanda est. At haec Fabula di-
citur, sine qua nulla esset comœdia; praeterea cum fabula imitetur diuersorum hominū
propriis mores, moratam esse necesse est. Nisi enim mores apte expresserit (nam inte-
rerit multum Dauid ne loquatur, herushe) haud recte suum munus assequetur. Rursus
cum opus sit, animi sensa per orationem explicare, ea de causa sententiā iubebe oportet,
quae cum uerbis explicetur necessariō sequitur ea, quae dictio appellatur. Denique
cum comœdiae propria sit actio (nam idcirco scribitur, ut postea agatur) sequuntur
sua sponte duae illae partes, quas Melodiam, & apparatus appellauimus, sine quibus
agi non potest, Fabulam poëmaticam animā esse pluribus rationibus probat Arist. Nam
ut anima forma est, & perfectio corporis: ita fabula forma, & absolutio quaedam est
comœdię. Praeterea ut animal animae beneficio spirat, ac mouetur: ita Comœdia per
fabulam spirat, uigetque; quodammodo. Denique ut corpus anima destitutum non am-
plius uiuit, sed mortuū est, fitque; cadauer: ita comœdia sine fabula planē emortua est,
seque; instar cadaueris habet; cum nihil in ea sit, quod delectationem pariat. Fabulam
idem quoque principium esse confirmat. Nam ut ex principijs omnia manant, existuntque;
Ita ex fabula tota comœdia pendet. Sunt enim in ea praecipua quaedam seruanda, quae
si comœdiae scriptor contempserit, proculdubio in maximis incidet errores. Neque
rem aut legi, aut agi dignam scripserit. Decet primū comicam fabulam tenuia quae-
dam ac popularia complecti, quae res eam à Tragœdia differentem reddit, cum haec
illustres personas imitetur. Tum unam tantum actionem imitari, & quae unius solis
periodo confici possit. Nec minor magnitudinis habenda ratio est, atque ordinis. Si-
quidē ex his pulchrū oritur, Pulchrū. n. siue animal, siue ex pluribus partibus quiddā
cōpositum non ordine tantum, quo partes inter se conueniant, sed etiam decenti ma-
gnitudine constare debet. Et ut fieri non potest, ut perexiguū corpus pulchrum ap-
pareat, cum speculatio ea, quae repentino fit tempore, confundatur: sic quod perma-
gnum est, neque delectare potest, cum contemplatio ipsa simul fieri non possit; illudque;
totum, & unum ē contemplantium captu elabatur. Quamobrem ut in corporibus,
& animantibus magnitudinem inesse decet, eam scilicet, quam probe aspectu senti-
tiamus: ita & in fabula longitudo erit, quam memoria facile complectamur. Eam
comicā fabulā iustam magnitudinem esse statuimus, in qua aperte fieri mutatio-
nem, & inclinationem turbarum, & rixarum necesse sit. Quod uerō ad partes spectat
eas ita iunctas esse oportet, ut nulla subtrahi, aut trāsferrī possit, quin tota fabula ruat,
& dissolatur. Turpe est fabulā Episodicam esse, in quod uitium tunc incidit, cum praet-
er actionem illam, quae proposita est ab initio, inseruntur multa, & praesertim cum
Hora.

Horatianum illud obijci potest, sed nunc non erat his locus, in quod uitium aliqui
mali poëtae antea incidebāt, permulta praeter rem adstruentes, ut longior esset fabula,
magisque delectaret. Adhuc cum comœdia humanas imitetur actiones, in quibus ple-
runque; rixae, contentionesque; contingunt; ideo necesse est, eiusmodi actiones eam ex-
primere, quae semper aliquid in se perturbationis, ac difficultatis habent. Sic inter-
miscenda sunt fortuita quaedam praeter spem, & expectationem contingentia, quae
inperatam letitiam afferant, aut dolorem, aut admirationem. Confinienda sunt
quoque in comica fabula omnia ferē personarum nomina, quod in Tragœdia non fit,
quia haec tractat argumenta rerum terribilium, ac miserarū, quae contingerunt cer-
tis quibusdam hominibus, quorum nomina proferre oportet. Comœdia uerō omnia
fingit ex uerisimili, ideo nomina quoque comminiscitur. Neque temere ad comicam
fabulam scribendam quispiam mea sententia accedet, sed prudenter, & certa cum ra-
tione, ac methodo, quae ex Aristotelis opinione eiusmodi esse debet. Constituenda
enim primū est fabula, & breui oratione describenda, atque ante oculos ponenda, ut
cognosci facile possit, quid deceat, quid non, haud lecus ac spectator facere solet,
cum res in scena agitur. Utendum est oratione, quae fabulam explicet, plana, & aper-
ta, ut repugnantia si qua fuerit, perspicere poeta facile possit. Summam rei totius ubi
ita explicauerit, nomina cōsuet, quae apta sint. Mox episodica parabit, suisque; in locis
collocabit. Episodica enim poema augent, actionemque; & ornant, & amplificat. Dis-
tinguet quoque; longitudinem connexionē, & solutionem. Connexio est id totum, quod
ab initio comœdiae pertingit illucque; ubi inclinant turbae rerum, & mutatio fit. So-
lutio uerō ea est, quae à mutationis principio ad exitum fabulae perducitur. Illud deni-
que; non praetermittam, duplex esse comicarū fabularum genus. Nam aliae simplices,
aliae implexae dicuntur. Simples sunt, quae nihil inperatum habent, nullamque; con-
tinent agnitionem. Implexae uerō, quae alteram, aut utranque; habent. Neque; aliud Agni-
tio est nisi ex ignoratione in notitiam alicuius personae progressus, quae ex re aut laci-
tia oritur, aut dolor: sed in comœdia semper ferē letitia exoritur; eaque; in extrema
parte collocatur, ubi sedatio rerum sedari incipit. Cuius rei clarissimum exemplum
extat in Terentij Andria, tum in alijs comœdijs, in quibus est agnatio. Haec de fabu-
la, uenio ad alteram comœdiae partem. Mores ita definit Aristoteles. Mores sunt, se-
cundū quos tales esse dicimus agētes. Et alibi idem asserit, Mores indicare τοιοῦτον
ea est electio, quae facit, ut homines aliud sequantur, aliud fugiant. Hęc est ueluti fons, &
origo omnium humanarum actionum. Ex moribus appellationē habet oratio morata,
quae conficitur ex illis rebus, quae hominū mores cōsequi solent. Ut si diceret aliquem
ambulante uocē; tollere, tunc eius agrestis quaedam natura significatur. Fit etiam mora-
ta oratio, cum in narratione signa aliqua efferuntur omnibus nota, ut illud Aeschini
quod Arist. refert. Ore personabat, uoce minabatur, manus concutiebatur. Vbi irā, uel
furorē aliquē subesse indicatur. Sunt autem in moribus quatuor consideranda, primū
ut probitate, & improbitate praefereant in singulis hominū generibus. Nam ut pro-
bo uiro probi mores sunt adscribendi: sic malo prauī. Alterū est τοιοῦτον id est deco-
rum quod fit, cum unicuique; suum datur officium. Nam praeter decorum esset, si talem
Feminam aliquam poëta effingeret, qualem Homerus Achillem describit, & si forti-
tudo praecleara uirtus est. Tertium est τοιοῦτον id est simile, quod fit, cum imitatio
morum in aliqua persona exprimitur ex fama, aut ex communi hominum opinione.
Quam rem per belle attigit Horatius in Poetice his uerbis.

Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge.

Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Sit Medea ferox; inuicta q̄ flebilis Ino.

Perfidus Ixion. Io. Vaga, tristis Orestes,

Quartum est τὸ ἴσαλον id est par, uel æquale; Nam æquabile, & sibi consentientes oportet esse mores in comœdia, ut si semel aliquem timidum, uel fortem, uel auarum, uel liberalem expresseris, eundem semper talē effingere decet, & seruare ad imū qualis ab incepto processerit, sibiq; constare, ut ait Horat. Cognitione dignum illud quoque est, Mores effingi uel κατὰ τὸ ἴσον, uel κατὰ τὸ ἀναγκαστικόν, id est uel ex uerisimili uel ex necessario, Notarum personarum mores ex necessario effingendæ sunt, quod in tragœdiis seruare oportet; cum in ipsis uera retineantur nomina. At nouarum personarum mores ex uerisimili sunt effingendi, quæ res comœdiarū propria existit. Quod ut recte effici possit, cuiusque ætatis, ac ordinis mores cognoscere oportet, ut etiam Horatius pluribus in sua Poetice prosequitur. Hastenus de moribus, quorum poeta magnam, & præcipuam debet rationem habere, si boni ac eruditi poetæ nomen assequi optat, cuius præcipuum munus est, & prodesse, & delectare. Tertium est sententia Hoc est autem dicere posse ea, quæ in re sunt, & quæ illi congruunt. Vbi δὴ δὴ δὴ Sententiam interpretantur, quod hæc sensum animi indicat, Vnde & σχήματα δὴ δὴ id est figuræ sententiarum à peritis dicendi appellatæ sunt. Nam quæ apud Græcos γοργή uocatur, ea sententia est, quæ præcipit, quid in uita sequi, aut fugere nos deceat. Hic uero per sententiam eam facultatem intelligimus, per quam oratione complectimur ea, quæ in ea re insunt, & quadrant, de qua agitur, cuius hæc uirtus est, apte animi sensū exprimere, hortari, retinere, consolari, irridere, contemnere, ceteraque ad huiusmodi rem spectantia perficere. Eius quinque præcipua munera esse Aristot. præcipit. Demonstrare, soluere, perturbaciones cære, augere, minuere, Nam obscura demonstrantur; Contraria seu pugnantia soluuntur: Auditorum animi perturbantur, atque mouentur: Exilia, & tenuia augentur: Magna & grandia minuiuntur. Decet quoq; sententias esse diuersas pro qualitate rerum, de quibus agitur, Poetamq; optime rerum naturas cognoscere, ut ex iis aptas eliciat sententias, quibus omnia uenuste, ornate, & accommodate possit explicare. Quamobrem cum Comici sermo tenuis sit, eius quoq; sententias non grandes, sed humiles esse decet; alioqui nihil à politica differrent oratione, qua oratores utuntur in foro, & in qua granitatem inesse oportet, ut auditoris animus attente percipiat, & credat ea, quæ dicuntur. Verum ut Tragœdiæ, quæ grandia sectatur, licet interdum ad humilia descendere, sic & Comœdiæ aliquando fas est maiora sequi, & ut ait Horat.

Interdum tamen & uocem comœdia tollit.

Iratusq; Chremes tumido delitigat ore.

Et Tragicus plerunq; dolet sermone pedestri.

Quod uero ad Comicam dictionem pertinet, qua sententiæ explicantur; eî decet esse puram, facilem, apertam perspicuam, usitaram, ex communi denique usu sumptam. Nam sermo humilis, qualis comicus est grandem dictionem nõ recipit, cum sententias habeat tenues, humilesque; qua in re Terentium, & Plautum floruisse uidemus, ex quorum comœdiis cum facile perspicui possit, qualis debeat esse comica dictio. Nolo pluribus in hac re immorari, ut aliqua de Apparatu, & de Melodiâ possim in medium asferre; quæ dux res cum magnopere ad fabulæ actionem spectent, earum quoque magna habenda ratio est. Nam fabula ex apparatu, & ex melodiâ magnopere censetur. Quam ob causam & si Choragi munus est scenam optime instruere, debet tamen poeta magnopere curare; ut cum aulæa demittantur, decora appareat scena, quæ suo aspectu intuentiū oculos maxime capiat. Ad apparatū pertinet Scena & histrionū habitus. Scenarū tria apud ueteres genera fuisse constat. Tragicū, Comicum,

cū, & Satyricū. Tragica Scena (ut inquit Vitruuius) columnis, signis, regalibusq; ornamentis instruebatur. Comica priuatorū ædificiorū speciem præ se ferrebat. Satyrica uero arboribus, speluncis, montibus, & alijs agrestibus rebus topiario opere conficiebatur. Has scenas qui apparabat, ceteraq; ad scenas pertinentia suggererat, Chorus appellabatur. Quam ob causam uix de apparatu, & de melodiâ Aristoteli meminissem arbitrator, quod ars instruendi apparatus chorago potius, quàm poetæ conueniret. Nihil enim poetæ artificio indiget. Veteres tamen poetas inuenio, sc̄i iplas fabulas cū recitare uolebant, saltatores, & cantores adhibere solitos fuisse; qui ad id ipsū accommodata saltatione, & harmonia utebantur. Neque solum scenæ magna cura habenda est: sed etiam histrionum, quos oportet noces, gestus, uerba, uestimenta, actio ni accomodata habere, ac fabulæ, quæ agitur. Asserit Donatus adolescentibus discipulorum uestem conuenire; seruis amictū exiguum paupertatis antiquæ gratia, uel quo expeditiores agant: parasitum intorto pallio in scenam progredi debere. Lato candidū, ærumnoso obsoletum, diuiti purpureum, pauperi phœniceum dari. Militi chlamydem purpuream, puellæ peregrinum habitum, Lenoni uersicolorum uestem, meretrici luteam ob avaritiam. Id tamen minime seruandum censeo hoc tempore. Nam decet histriones his uestibus uti, quæ nunc sunt in usu, à quo recedere non licet, si non aliqua recitatur comœdia, si quis enim histriones magnificis uestibus indutos in scenam produceret, haud secus erraret, ac si Tragicos humilia uestimenta indueret. Illud uero plurimum spectantium oculos oblectare solet, cum in scenam histriones nouo aliquo habitu conspicui in scenam introducuntur. Nam uestium noua facies admirationem parit, spectatoremq; ad fabulam audiendam attentioem reddit. Adhibendi sunt quoq; histriones, qui optime exprimant eorum mores, quorum personas agant. Fuere apud prisicos tria histrionum genera. Nam alij πρωταγωνισται, alij δευτεραγωνισται, alij τετραγωνισται dicti fuere, id est primarum, secundarum, & tertiarum partium, Donatus primas partes in ea intelligit persona, quæ plurimum loquitur; sic deinceps qui minus, ei secundas tribuit, qui minimum tertias. Sed potius dicendum est, eos fuisse primarum partium, qui clarius, ac elatius agebant; Quod confirmare uidetur Horatius in Epistola quadam ad Lollium his uerbis.

Vt puerum seuo credas dictata magistro.

Reddere, uel partes mimum tractare secundas.

Idem & Cicero clarius indicat in de Diuinat. his uerbis. Ut in auctoribus Græcis fieri uidemus, saepe illum, qui est secundarū, aut tertiarum partium, cum posset aliqua rõ clarius dicere, quàm ipse primarum, multum uocem lummittere, ut ille princeps quàm maxime excellat. Sic faciet. Hallienus, tibi seruiet, tibi lenocinabitur, minus aliquanto contendet, quàm potest. Ita & Demosthenes appellat Aeschinem. τετραγωνιστην, quasi histrionem tertiarum partium; & interdum προδότην τετραγωνιστην. Ad apparatum pertinebant quoq; Aulæa, uela scilicet illa picurata, & uersicolori textura spectabilia, quæ Græci περιπτεσματα appellant, ita dicta ab Attali aulæa ubi primum fuere inuenta, in quibus quoniam belluarum imagines exprimi solent: propterea beluata tapeçia ea Plautus appellauit. Erant in scenis minuta uela, quæ populo opponebantur, dum fabularum actus commutabantur. Interdum in scena sterni solebant, Horam Virg. meminit libro Geor. III. his uerbis.

Vel scena ut uersis discedat frontibus, utq;

Purpurea in texti tollant aulæa Britanni.

Vbi p Britanôs intextos uersicolorib^o uestib^o homines ornatos intelligere pot^o uideri quã in ipsis aulæis pictos. Seruus quoq; intelligit Britannos ab Augusto captos, & Theatralib^o officijs addictos. ubi illud quoq; animaduersione dignū est, duplicē fuisse

scenam comicam, uel ductilem, quæ contractis tabulatis, hac, atq; illac: interiorem faciem ostendebat, uel uersatilem, quæ subito quibusdam machinis uertebatur, aliâq; figuræ speciei præferebat, de qua hic Virg. locus intelligendus est. Quod uero ad me lodiam pertinet, nemo dubitat ibi tibias affuisse, sed in dubium uertitur. Quid dextræ, quid sinistræ; quid pares essent, quid impares: quando in argumentis Terentianarum comœdiarum has uoces crebro usurpatis licet inuenire. Guido quidam Terentium de eare hæc scripsit. Choros (ait) ad distinguendos actus adhibebant Græci poætæ: Latini tibias adhibuere, in graui comœdia dexteræ, in leui sinistras. Quare grauem sonuit dextræ, acutum sinistræ emittebant, ut sono grauitati, uel leuitati comœdiæ responderent. Quod ut fieret commodius, impares formabantur dextræ, id est unico foramine, sinistræ pares, & geminæ, ut cum duobus foraminibus exiret sonus distans; & dissectus acutior ad aures perueniret. Adhiberi utraq; solebant, cum mixta ex utroq; genere erat comœdia. Bellum hanc musicum fuisse arbitror, & tanquam asinum ad lyram, ut dici solet, qui tam apte de tibiaram foraminibus locutus est: ipse enim non uideo, qui nam concentus ex eiusmodi tibijs uno; aut gemino foramine cauat reddi possit, nisi forte ex illo Horatij carmine ita sensit. cum inquit.

*Tibia non ut nunc orichalco uincta, tubæq;
Æmula, sed tenuis, simplexque foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis.*

Quæ doctus uir nunc ita dixit, ut sui temporis luxuriam taxaret, præcorum uero par simoniam laudaret. uirtus omnes ostendit usus uoce illa, foramine pauco. Neq; hic uidit tibias choris adesse consueuisse non solum apud Græcos, sed etiam apud Romanos. Idem quod Guido, Donatus exprimere uidetur, cum ait. Agebantur tibijs paribus, aut imparibus, & dextris, aut sinistris; dextræ autem tibiæ sua grauitate seriam comœdiæ dictionem pronuntiabant, sinistræ, & ferranæ acuminis leuitate iocum in comœdia ostendebant, ubi autem dextræ, & sinistræ, mixti ioci, & grauitates denunciabantur. Quibus uerbis neq; Donatus explicat, cur ita dictæ essent, earum enim usum tantum indicauit. In tantis tenebris si diuinare licet, ipse existimarem, ex tibijs alias fuisse simplices, id est uno calamo confectas, alias duplices, id est ex duobus compactas, propterea has pares, illas impares fuisse appellatas. Sola tibia ex uno calamo constans, Monaulos etiam dicta est. Unde Martialis. Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet. Utraque & pares, & impares plura foramina habuisse putabimus, ut hodie quoque uidemus, quibus uoces uel grauioribus, uel acutioribus redderentur, quod illud Senecæ confirmat, cum ait. Tibi multifora buxus tibia solenne canit. Dextrarum uero, & sinistrarum uoces ex ea re arbitrantur aliqui fluxisse; quod ait Plin. Internodium radici proximum excindi morem fuisse ad lænam tibiã; quod uero subesseret cacumini ad dextram. Ex quo fiebat, ut lænarum sonus grauis esset, dextrarum acutus, cuius rei oppositum sentit Donatus, ut diximus. Hanc ob causam à Scenæ locis dextris; & sinistris, unde sonus ad auditori aures perueniebat, ita dictas ipse arbitror. Nam quæ admodum Chorus in Tragicæ dextra parte in sinistram; mox à sinistra ad dextram progredi solebat, ut caelestium orbium motum imitaretur; ita in comœdia puo tibijs modò à dextero latere, modò à sinistro passari, morem fuisse, uel ut Tragicæ chororum imitaretur, uel ut comœdiæ grauitatem, & leuitatem indicarent. Per multa alia hic de tibijs adnecterem, tum de partibus comœdiæ ad quantitatem pertinentibus, sed quoniam ea Rinaldus noster pluribus est prosecutus in Panos. fa nilia ubi plurima reuult de tibijs, & in Apollinis Theatro, ubi de Poëtice, eiusq; generibus abunde plurima explicauit, præstabit iam modum facere, ne dum de tibiaram modis

modis loquor, uerecundia modum excedam. Vos uero (quæ uestra humanitas est) in bonam partem accipite rudem hanc meam misicam: imperitus enim musicus, quæ ad excellentem artificem pertinent; præstare non potest.

ADVERSUS DICTA HIS RATIONIBVS ARGVIT.

CAESAR CVRTIVS.



ARBITROR omnia argutissime Academice non minus docte, quam uerè à te dicta fuisse: quædam tamen ex his mihi uisã sunt, uel inter se pugnare, quædam dubitandi ansam præbent: quædam non satis intelligo. Quamobrem cum optime sciam non parum prodesse dubijs de rebus differere, ut ea, quæ à te dicta sunt, melius intelligi possint, (uerissima enim illa esse credo:) meas aliquas rationes in medium asseram. Illud in primis dubitandi ansam præbet. Nam essentialia comœdiæ partes numero sex posuisti, Fabulam, Mores, Sententiam Dictionem, Apparatum & Melodiam. Ex quibus quatuor tantum hoc nomine mihi dignæ uidentur, quod hac ratione confirmari potest. Illæ sunt partes essentialia, quibus comœdia carere non potest: sed apparatu, & melodia carere potest. Igitur apparatus, & melodia non sunt partes essentialia. Adhuc ubi dixisti, Fabulam unã actionem imitari debere, mouet mihi ea res dubium, nam cum in ea plures, diuersaq; personæ inducantur agentes, diuersas earum actiones quoq; esse oportet, arguo igitur ita. In comœdia sunt plures, diuersaq; personæ, & actiones. Plures diuersaq; actiones non sunt una; igitur comœdia non unam tantum actionem imitatur. Illa deniq; inter se pugnare uidentur. Asseruisti enim primò fabulam non decere esse episodica; postea præcepisse uideris poëtam, episodica parare debere, suisq; in locis disponere cum Episodia poema augeant, ornentq; atque amplificent actionem. Non memoria culpam hic esse iudico: sed potius ingenio sum aliquid, & perspicax, quamobrem feceris mihi gratissimum, si has nubes ex animo meorũ doctrinæ flamine disceris.

RESPONDET MARCELLVS.

Subtili (quod aiunt) Minerva contra ea, quæ in mea lectione explicanti, arguis solertissime adolecens. Equidem Aristotelis, aut Chrysippi argutias dari mihi optarem, ut ingeniosis hisce tuis rationibus, quas, ut me honore aliquo afficeret, adduxisti, satis ex animo facere possem. Pro mei tamen ingenij captu respondebo. Arguis primò, & satis argute aduersus id, quod proposueram, sex esse essentialia comœdiæ partes. Comœdiam apparatus, & melodia carere posse: propterea, has non appellari debere essentialia. Hac in ratione, antequam ad alias descendam, negatur adiunctum. CAESAR. Probo adiunctum. Remoto apparatu, & melodia, remanet tamen comœdia, neque absentibus illis imminuitur; illas ego statuo esse partes essentialia, quibus ablatis totum imminuitur, sed ablato apparatu, & melodia, remanet tamen comœdia. (alioqui quas scriptas habemus imperfectæ dicendæ essent) cum igitur illis remotis, nulla imminutio comœdiæ sequatur, illæ non uidentur esse partes essentialia. MAR. Respondeo comœdiam bifariam considerari posse, uel ut fit à poëta scribente, uel ut agitur ab histrione recitante, est enim comœdia opus dramaticum. Si priore modo consideratur, nemini dubium est, quatuor tantum partibus eam consistere: Nam ad descriptionem illæ tantum pertinent. Sin autem posteriore modo consideratur, quomodo eam Aristotelem considerasse puto, cum de Tragicæ loqueretur, tunc necesse est subesse apparatus, & melodiam, sine quibus recte agi non potest. CAESAR. Satisfecisti mihi pulchra hac tua distinctione, quare ut ita reliquas explices,

plīces, uehementer rogo, nē nostris contentionibus ac meis potius nugis tot eruditissimis uiris molestiam aliquam pariamus. MAR. Libenter faciam. Altera ratione probare nitentur, comœdiam non unam tantum actionem imitari posse, cum plures personæ, diuersę; actiones illarum in ipsa introducantur. Hanc nubem alterius distinctionis flamine ita disijci posse existimo. Vnum bifariam considerari potest, aut cum quippiam per se solum existit, estque à cæteris rebus distinctum, & seiunctum. aut cum compositum quiddam est ex pluribus, & in unam formam redactum, quod uniforme potest appellari, cuiusmodi sunt omnia ea, quæ ex pluribus rebus commixta, unam tantum figuram referunt. Dico igitur fabulam unam appellari non priore modo, sed posteriore. Nam ex pluribus actionibus conueniri debet ad unam tantam finem spectantibus, atque sic inter se consentientibus, ut ex pluribus una res efficiatur. Non igitur in comœdia est una actio priore modo considerata, sed posteriore, nam omnes diuersarum personarum actiones ad unum spectant. Quod uerò in postrema ratione pugnantia me locutum esse asseris: scias uelim illa maxime inter se coherere, nulloque pacto disiuncta esse, atque contraria. Aliud enim est Episodicam esse fabulam, aliud uerò poetam Episodia parare debere. Quod ita esse ex his, quæ dicam cuique exploratum erit, Episodica fabula ex Aristotelis sententia ea est, in qua non ex uerisimili, neque necessario multa neſtuntur episodia, quod plerunque fit ab ineptis poetis, interdum à probatis, sed histrionum gratia, hi enim ut fabulam plus æquo producant, legitimum ordinem peruertere coguntur, quod uitium, & Horatius in principio suæ poetice magnopere infectatur. At cum Episodia apte coniunguntur cum illius personæ actione, ex qua fabula constituitur, iam non amplius Episodia dici debent, sed partes illius fabulæ, quæ ex rebus coherentibus, coniunctisque una, simplexque facta est, uelut in unum corpus redacta. Hæc quoniam eruditus, hinc uiris astutibus satisfacere uideo, arbitror tibi quoque non ingrata esse futura. CÆS. Immo immortales tibi gratias ago, cum eiusmodis nebulas ex animo dispuleris meo, quæ me male habebant. Neque unquam desistam pro uiribus ingenij tui præstantiam celebrare, qui tam celeriter, & facile meas dilueris rationes. Quamobrem tibi magnopere gratulor, quod ista qua præditus es, eruditione eris omnibus magno incitamento ad gloriam, laudemque comparandam.



CVM

ALTERA: LXXXV
CVM ALIQUA DE ARTE QVA

VIRGILIUS IN ÆNEIDE VSUS EST
EXPLICANDA ESSENT.

LÆLIUS CARACCIOLVS IOAN. FRANCISCI

PATRICII HONESTISS. F.

HIS VERBIS PRAEFATVS EST.



IACVLATOR,



VID hic talium uirorum tantus conuentus? An aliquot de rebus dubiis deliberaturi huc accessistis? Nō hic locus est. Vos etenim uiri amplissimi, iuris legūque peritissimi, senatum adire ibique iudicia exercere, æqua iura ciuibus describere, controuersias sedare, ambiguas leges interpretari, maximis de rebus & ad Remp. pertinentibus agere soletis. An aliquid à Rinaldo nostro excepturi, qui cæteris de iure cōsulentibus & grauius, & argute responderis? An Saturnalia celebraturi, & seruis domini opiparas cænæ exhibitori? Quidquid sit, & consiliis uestris nos tanquam Papyrios, & iuridicando tanquam Tulliolos, & cænæ tanquam Syriscos adhibere poteritis. Sunt enim Academici nostri milites omnium horarum, ad omnes excubias, ad omnia obsequia, & ad omnia ministeria parati, prōpti, ac celeres. Ipse uerò nequeo satis mirari, cur uos præstanti eruditione, & nobilitate fulgentissimi angustas hæc edes intraſtis, ubi nullum uestibulū, nulla porticus adest, nulla exēdra, nullum atriū, nullū cenaculū, nulli horti, in quibus spatari possētis, præter exiguū, angustūque gymnasiū, quo rudes quidam adolescentuli conuenire, & ubi nihil nisi inanes quædam nugæ effutire solent. Tametsi id minime mirum esse debet. Nam & Pompeius ille Magnus ex Asia uictor rediens Possidonij philosophi foribus laureatos fauces subijcere non erubuit. Et Alexander ille Regum domitor, urbiumque euerſor Diogenem in angusto dolio latente uisere non recusauit. At dicam, quod in mentem uenit. Vereor, ne ornatus hic noster uos in errorem aliquem adduxerit. Sed quæ res tam sapientes uiros, qui ingenij acumine omnia perspicitis, fallere potest? Hic nullæ sunt dapes opiparæ, quales urbis nostræ procæres solent magno apparatu instruere, nulli argentei, uel aurei Scyphi, neque ut in Symposio Xenophontis, pocula minuta, atque rorantia. Musis dicatus hic locus est, hodieque nō cæna Pōrtificia nec Saliaris apparatus Apollini à Lucullo, (nolo uos fallā aliqua fallat opinio) sed tenuis, sed parca à Calliope. Esculentæ sunt auculæ quædam, fugacesque capræ, quæ in Virgilio syluulis latitabāt, multo labore partæ. Poculentæ uerò sunt aquilæ quædam minutulæ ex eiusdem fontibus haustæ. Arbitror iam arto lagana illa uestra mira arte condita uobis satietatem, fastidiumque parere, proptereaque uos ad leuia hæc nostra degustada accessisse. Id si ita est; si ita uestris gratum est animis, paulisper manete. Nam neminem arceat Calliope. Et cum primum dabitur comedendi potestas, accumbite securi, hilaremque (quando huc accessistis) hunc sumatis diem, illud scientes eiusmodi epulas, & languentes stomachos esse confirmaturas.

R. IOAM,

A C A D E M I C A
R. IOAN. ANGELVS CAMBANILIVS LEONARDI
CIVIS OPTIMI ET HONESTISS. F.
VI. AEN. AVSPICATVRVS
HANC HABVIT LECTIONEM.

M E T A T O R.

NIL est mea quidem sententia, quod sensus omnes simul præcipue oblectet, nihil, quod magis animum capiat, quam pulcherrimus hortus mirarum suauitate, ac fructuum ubertate refertus. Siquidem cætera per se sola nostris obiecta sensibus aliquem eorum tantum mouere possunt. Aperit oculos clarissimus gemmarum fulgor: Mulcet aures ex grauius, & acutis uocibus permixtus concentus. Palatium excitant exquisitissimæ epulæ sale, saccharoq; conditæ. Suauium odorum aura naribus est gratissima. Tactum mollium corporum lenitas mirifice delectat. At nihil cum feracis hortuli aspectu potest comparari. Nitent primum in eo siderum instar uersicolores flosculi humum gemmeis pingentes honoribus. Adfunt & densæ arborum comæ, quarum uiriditate nihil est uidendi, facultati accommodatius: ut leni umbra nihil gratius. Mulcent hic aures canoræ Iulcinia suas querelas indefesso studio tenui gutture effundentes, tum cæterarum dulcium auiularum suauissimi garritus. Nec desunt & strepentis aquæ uitrei liquores marmoris lapillis plerumq; allisi, optatæq; Zephyrorum auræ: nec non & apum gratus susurrus somni conciliator. Suggest annus poma uarijs distincta coloribus, quæ Copia uberrimo fundit cornu ori gratissima. Hic omnium manus aduocant myrtorū odorati ramusculi, uiridantes ripæ, ac mollissima gramina. Quamobrem iure inquit Po. ta.

Obelæt hortus, aduocat, pascit, tenet,

Animoq; mæsto demit angores graues.

Membris uigorem reddit, & uisum capit.

Haud secus Virgilij poema tanquam uberrimum, amoenissimumq; pomarium omnes animi sensus capit, oblectat, & tenet. Est enim & uerborum elegantia, & rerum copia, & figurarum, ac troporum ornamentis, & styli lenitate maxime decorum, atq; insigne, quibus rebus legentium animi magnopere afficiuntur. Poetica enim lumina, quibus totum opus illustratum est, mentis aciem alunt, recreantq; auræ carminis suauitas mulcet, odoratum reficit morata oratio honestatis condimento referata: gustum irritat omnium disciplinarum, rerumq; naturalium lautissimus apparatus. Tactum styli grauitas tenet admirabili orationis lenitate mollita. Quibus rebus effectum est, ut ex poetis solus Virgilius Latine loqui uideatur, & solus legi dignus existimetur. Habet præterea ferax hortus uarias arbores suauibus pomis onustas, inter quas pinus proceritate, & pulchritudine præstat; habet florida prata, limpidos fontes, latissima spacia, umbras siluulas, opacas speluncas, apricas speculas, quadratas arceas, parietes topiario opere ex uarijs arbuticulis circumtextos. Tabulata summa nitib. tecta, auaria deniq; atq; uiuaria omni auium, ac belluarum genere referta. Quæ omnia pomarij aspectum quam gratissimum reddunt. Haud secus uenustum hoc Virgilij poema pulcherrimi instar horti continet primum fortium Heroum gesta, qui haud secus ac proceræ arbores nominis claritate tolluntur in cælum, inter quos præcipue attolitur Aeneas uirtute, & pietate insignis. Tum continet florida comparationum, cæterorumq; ornamentorum prata, quæ totum poema uariant, atq; distingunt. Habet Epifodiorum fontes, quæ riualorum instar totum opus irriguis digressionum aquis

A L T E R A.

LXXXXVI

aquis fœcundant. Aperit latissima narrationum, ac doctarum, ac patheticarum orationum spacia. Erigit umbrosa fabularum nemora, & opacas naturæ secretorum specus: effert apricas exemplorum speculas, quadratas elocutionis areas, parietes reu ordine atq; admirabili artificio intertextos, sublimia tabulata uis suauissimis onusta, altissimas sublimium rerum descriptiones, tum numerorum, & Rhythmorum concentus tanquam auaria. Adhuc maritimarum rerum auaria, quibus & insulæ, & litorea, & nauigationes elegantissime explicantur. Habet quoq; pomarium tecta magnifica cum suis uestibulis, porticibus, atrijs, cubiculis carnationibus, permultisque alijs contignationibus, quibus regales ædes constare solent: neq; ædibus dominus aulicq; desunt. Haud secus Virgilianū pomarium habet, & sum palatium in medio spatio situm. Sextus hic liber est Aeneidos, quem tanquam augustum tectum uideo in medio opere collocatum. Nihil enim ei deest, quod ad Regiæ architecturam, & ad principis aulam pertinet, quod legentibus clarissime patet. Est enim poeta iste omnibus in rebus describendis tam magnificus, ut iure Epici carminis palma ad unum Virgilium omnium iudicio fuerit delata. Adeoq; omnia nitent in uno Marone, ut ali qui in dubium uocant, plus ne Ciceronis, an Virgilij eruditio ad eloquentiam cō parādā adiuuet, sic est in omni dicendi genere concinnus. At si diligenter inspexis disciplinarum omnium Encyclopædiam, nihil fuisse uidetur, quod eius doctrinam effingerit. Diuersi primum sacrorum ritus, quorum ipse suis locis meminisse, clarissime testantur, nihil in iure Pontificio, uel Augurali fuisse, quod non optime calluerit. Huc accedunt Hetruscorū, Oscorumq; disciplina, ac XII. tabularum leges, quarum rerum, nulla eum latuit. Quid de astrorum cognitione dicam? quid de naturæ arcanis? An quisquam eius scripta diligenter euoluens non fatebitur, hunc non minus peritū astrologum, quam præstantem fuisse philosophum? Tota philosophia est eius poesis: quod cuiq; intuenti facillime patere potest. Neque philosophorum sententiæ aliqua fuere, de mundo, de anima, de fato, de fortuna, de inferis, de diuina prouidentia, de summo bono, de rerum generatione, de uita, de morte, quin eas Virgilius non accurate, & attigerit, & expresserit. Adducerem omnium istarum rerum exempla, ni ea IOAN. BAP. RIN. in Mineruæ familia copiose esset profecutus. Quid geographiæ peritiā referam, ad quam plerumq; excurrit, ut maiori ornamento, & lumine tuum opus illustret? Quid, quantum est in historijs narrandis, aut fabulis effingendis? Quid linguarum cognitionem recenseam, & Græcæ præsertim, qua totum opus aspersum est? Quid Rhetoricen, quam solus calluisse uidetur? tantus est in exornationibus, in comparationibus, in affectionibus concitandis, in orationibus, in expolitionibus, in hyperbolis cæterisque figuris, & tropis. Quid inusitata uerba adducam? Quid tralata? Quid nouata? quæ tanquam lumina orationem, ornant, & illustrant? Sed Cur Mathematicam, & eius præcipuam partem Arithmeticen prætermitto? Quis non uidet numerorum omnium eum meminisse, qui uirtute aliqua præditi sunt? Colligere ex eius scriptis omnium istarum rerū exempla clarissima. Sed breuitatis studiosus, cum non ignorem, neminem uestrum esse, qui Virgilij lectione non plurimum delectetur, ea prætermittenda duxi. Silentio tantum non inuoluam singulare eius in numeris artificium, quibus opera sua distinxit. Habemus primum ternarium numerum absolutissimū in triplici opere, quod in Bucolica, in Georgica, & Aeneida distinxit. in quarum Sectionum prima extat denarius, in altera Quaternarius, in tertia duo denarius. qui omnes numeri uariis de causis perfectissimi, & inter cæteros primi habentur, de quibus mox singillatim aliqua (quoniam me tam diligenter attenditis) ex Philosophorum, & Mathematicorum disciplina, ut potero dicere aggrediar. Pythagoras naturæ indagator solertissimus, qui Mathematicam disciplinam non solum ex Chaldæis, & ex Assyrijs, sed etiam ex Hebræorū occultiori sapientia hausit ternario nume-

non mero tantum tribuit, ut omnem Deitatis rationum, uniuersumq; ipsum hoc numero perfici asseruerit, esseque hunc rerum omnium mensuram, quod rerum opifex maximus ternario numero omnia dispensat, cum illa primum creet, mox ad se rapiat, deniq; perficiat, quo etiam spiritu ductus Orpheus Iouem principium, medium, & finem uocauit. Ea; de causa mos inductus fuit ut tribus rebus Deum coleremus, Adoratione, thuris oblatione, hymnis. idque ter singulis diebus, mane, meridie, & uesperis. ex quibus adoratio reuerentiae cultum exhibet, Thus suauissimae cognitionis diuinæ distributionem complectitur: Hymni Caelorum concentum referunt, Mercurius quoq; Trismegistus tribus rebus perfici mundum affirmauit, Himarmene, necessitate, & ordine, quæ indicant Causarum mutuum connexionem, effectorumq; debitam distributionem, eorundemq; consensum. Magi quoq; tres Principes mundo assignabant, Oromasim, Mitrim, Araminim, id est Deum, Mentem, & Animam. Nec minus & sacrae litteræ testantur Deum Opt. Max. mundum disposuisse numero, pondere, & mensura, quæ tria efficiunt, ut omnia, quæ in mundo sunt, superexcellente Trinitatis uestigium gerant. Numerum enim habent ab illa summa unitate, & numerorum omnium fonte, pondus à sapientia illa, quæ omnia librat, mensuram ab illo artifice Spiritu, qui unicuique congruam proportionem impertit. Quamobrem & Arist. in lib. de Cælo asserbat, Habere nos à natura ternarium numerum quasi legem, secundum quam omnia disponuntur. Verum ut huiusce numeri uirtus melius cognosci possit, inuenire oportet, unde sit eius ortus, & quæ res tanta eum potestate, ac præstantia insignem reddidit. Sciendum igitur Monadem (sue unitatem appellare manus) numerum non esse, sed numerorum fontem, originemque omnium initium, ac finem, par, atque impar in se claudentem. Proptereaque ita dictam *ὄνι πᾶντων ἐξ ὅλης* *ἑνὸς ἀπὸ τοῦ ἑνὸς*, quod scilicet aliis ad interitum tendentibus ipsa sola maneat, & eam ob causam ad Deum solum referri, eumque numerum ceteris præstare, qui ad monadis naturam proximè accedit. Monas hæc, cum indiuisibilis existat, immortalitatis symbolum est, cuius rei gratia arbitror Poetam dixisse, impari numero Deum gaudere, cuius propria est immortalitas, & Theologos Deum unum appellare. Quæ ob causam inter Politicæ genera Monarchiæ primum locum assignant ex Homeri sententia. unde Alexandrum legimus Dario Regni partem offerenti respondisse. Neque terram duos soles: neque Asiam duos Reges ferre posse. Hæc unitas ex se omnes numeros parit, & quemadmodum ex puncto fuit linea, ita ex unitate binarius oritur numerus: ex quibus numeris ut impar mas appellatus est, sic par foeminae appellatio nem suscepit. Arithmetici quoque imparem patris nomine, parem matris appellatione sunt uenerati, & Timæus Platonis auditor fabricatorem mundanae animæ Deum partes eius ex pari, & impari numero intertextuisse memorauit. Ex prima igitur unitate: & ex prima paritate ternarium componi iam clarum est. Hinc ternarii oritur dignitas, quo numero omne corpus constat. Triplex enim eius dimensio est, longitudo, latitudo, & altitudo: quibus omne corpus constare necesse est. Hinc & Mûdus, omniaq; in mundo existentia triplici hoc numero consistant. Mundos enim tres signauit antiquitas. Supremum illum, quem Theologi Angelicum, Philosophi intellectualem appellant, alterum, & huic proximam Cælestem, Tertium Sublunarem, seu Elementarem appellare libet. Omnes tamen unum esse mundum asserimus, propterea quod ab uno principio sunt, & ad eundem finem referuntur. Horum mundorum Typus fuit Tabernaculum à Mose in tres partes distributum. Eius enim prima pars nullo defensa tecto imbribus exposita sublunarem mundum significabat: altera: caelestem: tertia supercaelestem. Tres istos mundos homini inesse liquet. Nam caput rationis, ac mentis sedes est, ideo Angelico responderet. Thorax, ubi cordis est motus, caelestem refert. uenter, & quæ uentri subiacent, generationi apta elementari respondēt.

Tres

Tres quoq; unitates in rebus ipsis, quæ in mundo existunt, considerari posse, clarissime patet, eaq; adeo inter se connexas, ut ab unitatis simplicitate minime recedant. Primam enim unitatē esse uolunt, qua unumquodq; sibi est unum, sibiq; constat, atq; coheret; alteram uerò, qua una res alteri copulatur, & per quā omnes mundi partes unum constituant mundum. Tertiam deniq; qua totus mundus cum suo opifice, quasi exercitus cum suo duce, unus efficitur. Fuit hæc tripartita unio ab uno illo, quod & primum unum & trinum simul, & unum est, à Patre. f. Filio, & almo Spiritu. Pater enim cum omnia producat, suam omnibus unitatē impertit. Filij sapientia omnia disponens simul unit, & copulat. Spiritus deniq; amoris sui uinculo ad Deum omnia conuertens opus cum suo opifice charitatis uinculo connectit. Hanc Trinitatem Hermes quoq; sub ænigmatē sphaeræ innuisse uidetur, cum ait. Deus est sphaera, cuius centrum, id est pater est ubiq; per suam potentiā, circumferentia siue ambitus uerò, id est sapientia, & filius Dei nusquam, quia capi non potest, & circumplectitur. Relatio uerò mutua utriusq; centri scilicet, & circumferentiæ spiritum, & amorem mutuum significat. Eademq; de ratione hoc numero omnia in mundo connexa stare iam constat. Sunt primum diuinæ mētes in tres Hierarchias distributæ, ex quibus singulæ triplici ordine continentur, quibus præsidet Deus prima unitas. Apud Platonem triplex est deorum discrimin. alij intelligibiles sunt ab omni materia seruari, uisibiles alij, ut caelestia corpora, alij infra lunam à scientiæ magnitudine Demones appellati, quos nostra uota ad superos referre existimauit antiquitas tãquā interpretes; Lares appellat Cic. Genios Apuleius. Tum in sublunari globo tres adsunt rerum ordines, quorum primus est uitæ expertiū quo in numero sunt elementa, mixta imperfecta, & mixta perfecta. Tres uegetabilis naturæ series, herbarū, fructuū, arborū. Tria sensitiuæ animæ discrimina, Zoophytorum, belluarum, & hominum. Animam quoq; ipsam triplici præditam facultate uegetandi, sentiendi, & intelligendi. Adduc hominis animum rationali præditū facultate, irascibili, & appetitiua. Adhuc triplicem mundum triplici mensura regi aternitate, æuo, & tempore, Tempus uerò distingui præterito, presenti, & futuro. Philosophiam in tres partes distributam. Naturalem, moralem, & rationalem. Moralem quoq; in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam. Tres gubernandi formas, Monarchiā, Aristocratiam, & Rempublicam. Tria principiorū genera ex Platoni sententia Deū exemplar, & materiam, Tria quoq; ex Aristotelis disciplina. Materiam, formā, & priuationem. Huius numeri uirtutem poetæ non ignorantes permulta triplici serie insignia reddidere. Ut Parcas, Charites, Gorgones, Furias, Harpyias, Sirenes, Geryonem, Chimæram. Quin & apud eisdem reperire licet tria uirginis ora Diana. Trifidulum fulmen Ioui traditum, Tridentem Neptuno, Plutoni Cerberum, Apollini Tripoda, Baccho Trieterica. Quin & Grammatici habent tria genera. Rhetorici tres dicendi caractères, triaque causarum genera. Nec non & triplicem statum. Logici Syllogismum ex tribus propositionibus constantem, eiusque triplicem differentiam. Arithmetici par, impar, & pariter impar, Geometræ triplicem dimensionem, Geographi, tres mundi partes, Musici concentum ex grauibus uocibus, acutis, & medijs constantem, Iureconfulti tria iustitiæ præcepta. Triplex ius, Sacrum, Publicum, & Priuatum. Adhuc priuatum in personis, in rebus, & actionibus uersans. Medici Dieteticen, Pharmaceutricen, & Chirurgicen. Theologi Sanctissimam Trinitatem, ad quam omnia referunt. Sunt hoc numero & alia insignia permulta, quæ breuitatis studiose omitto, ne Ausonij ternarium compilasse uidear. Hinc quoq; facile cuiq; parere potest. Cur & nouenario tantum tribuerint docti auctores, ut eius plerunq; meminerint. Nam ex ternario ter repetito nouenarius constat, quo in numero superiorum intelligentiarum chori sunt, tum nouem genera eorum, quæ corruptioni, & generationi subiiciuntur, ut supra diximus, nouem quoque

S

sphae-

sphæræ, & his novem præfidentes Musæ, quas Hesiodus novem dièrum spatio Iovem cum Mnemosyne jacentem procreasse finxit, alludens forte ad novem humani partus menses, uel significans in studia disciplinarum multum incumbere oportere eum, qui ingenij, atq; doctrinæ memorabile testimonium sit relaturus. Quare non immeritò Horatius iubet, ut opus, quod edituri sumus, nonnum prematur in annum. Nam interdum poætæ hûc numerû usurpare solent pro absoluto, & consummato, interdum pro numero multitudinis, ita apud Virg. legas. Novies Styx interfusa coerces. Et de Tytio. Cui per tota novem per iugera corpus, porrigitur. Ita & Nicander in Scorpij cauda apponit *σποὺ δ' ἄλλοι ἐννεαδ' ἔσθ' ἔσθ'.* quasi esset novem spondylis compacta. Alcæus appellat hydram *ἐννεακέφαλον*, quasi ex novem capitibus constantem. Et apud Aratum legitur *ἐννεαζυγαὶ κορώνη*, non quòd novem ætates cornix uiuat, ut ait Theon, sed quòd per quàm diu. Vnde Tibull.

Viuerè cornices multos dicuntur in annos.

Idem novenarius numerus apud Homerum frequens est, & apud Virgiliû Aeneas pollicetur se nono die ludos exhibiturum, ubi ad nouendiale sacrum uideretur alludere, quòd in funeribus potentiorum fieri solebat. Plura uideo me, ac cogitaram, de ternario numero dixisse, quare uenio ad quaternarium eius comitem, & ex duplicata paritate fluentem, quem mathematici omnium numerorum radicem, & exordiû appellat. Nam coacervatio à monade ad quatuor denarium efficit. Hinc & Hierocles Pythagoræ interpres hunc numerum aded effert, ut eum opificem, & causam omnium esse dicat, quia nihil dici, aut fieri posse arbitratur, nisi à quaternario numero, tanquàm à radice, & fundamêto omnium. Còtinet hic omnè musicâ consonantiâ Diapason, Diapason, Diapète, & Diatessaron. Sunt apud mathematicos quatuor illæ primæ quantitatis appellationes. Punctus, linea, superficies, corpus. Apud Geometras unum pûcti locum obtinet, duo lineæ ductum faciunt, quæ punctis clauditur. Tria superficiè componunt. nam tres lineæ tribus punctis clausæ triangulum efficiunt, quæ est prima figura. At quatuor, altitudine additâ, cubi formam, id est corpus solidû constituit. Apud Pythagoræos Tetras hic sacer erat, uel quia quæ consistunt, omnia ex puncto primûm producuntur, postea punctus fluens lineam facit, linea superficiè, hæc deniq; corpus, uel alludebant ad tetragammon Hebræorum. Vel quòd quaternitate animâ constare arbitrabantur, Mente, scientia, opinione, & sensu. Ided per quaternionem tanquam sacram rem iurare solebant. Ex hoc numero Deus rerû creator quatuor elementa insolubili inter se uinculo colligauit quatuor primarum qualitatum beneficio. Adhuc soliditatem, perfectionemq; hic numerus significat. Propterea Veteres ut artis stabilitatem indicarent, Mercurium Cubo, quæ quadrata figura est, insidentem effingebant, ut fortunam rotæ ad eius inconstantiam demonstrandam. Sic & terminales statuas quadratas inuenire licet, quod præfici faciebant, ut Deorum stabilitatem significarent. Cumq; quadratæ figuræ illud sit proprium, ut quoquo uersum iactata fuerit semper recta consistat, hinc effectum est, ut uirum bonum quadratum appellare soliti sint, quòd quatuor morales uirtutes in eo insint. Hinc illud *ἀγαθὸς ἀλλοδὸς τῆς πράξεως ἄνευ ἄλλου* Hoc est. Bonus uerè quadratus uituperationis expertus. Et Cor. Celsus illud corpus optimæ habitudinis esse censet, quòd quadratum est, neq; scilicet procerum, aut pusillum, aut gracile, uel nimis obesum. Hoc etiam numero constat quadruplex substantia, corporea, scilicet, uegetalis, sensitua, rationalis. Quatuor apud metaphysicos elementa. Essentia, esse, uirtus, & actio. Quatuor mundi partes, ortus, occasus, septentrio, meridies, ex quibus sunt quatuor uenti, quos cardinales appellant. Eurus, Zephyrus, Boreas, & Austus. Quatuor elementa, eorumque quatuor primæ qualitates calidum, scilicet frigidum, humidum, & siccum, sequuntur quatuor anni tempora, Ver, Aestas, Autumnus, & Hyems, tû quatuor humores, sanguis,

guis, bilis flaua, bilis atra, & pituita. Quatuor animæ potentia, sensus, phâtasia, imaginatio, intellectus. Causæ quatuor Materia, Forma, agens, & finis. Virtutes Cardinales. Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Adhuc quatuor sunt diuini furoris species ex Orphi sententia, Poësis, quæ est à Musis, Mysterium à Dionysio, Vaticinû à Apolline, Amor à Venere. Quatuor solis motus, Annus, Mensis, Diurnus, obliquus. Quam ob causam lyram quatuor ex neruis constantè Apollini tribuere. Sunt apud poetas quatuor inferorum flumina. Cocytus, Acheron, Lethe, & Phlegethon. Quin & apud Sacras litteras sunt quatuor flumina ex terrestri paradiso effluentia. Phison Ganges, Tigris, & Euphrates. Quadrata figura Romam insignem primû fuisse legimus, quòd in ea ponenda erant quatuor solidissima fundamenta diuinæ legis, quatuor scilicet illa Euangelia, quæ Ezechiel in quadriformi animali antea conspexerat diuino numine suggerente. Quin & quatuorplex fuit illa statua in somnis Nabuchodonosor uisa, quæ quatuor monarchias significabat Assyriorû, Persarum, Græcorum, & Romanorum. Quatuor hominis status, innocentia, legis, gratia, & gloria. Quin & Dei nomen quatuor litterarum est apud omnes gentes, unde ab Hebræis dicitur Tetragammon, apud quos est illud ineffabile iehoua, ex quatuor litteris constans, quarum prior patrem, altera filium, tertia Spiritum Sanctum, quarta Christi humanitatem denotat, à Græcis dicitur *δωδ* ab Aegyptijs *δωδδ* à Persis *زور* à Magis *open* ab Arabibus *alad* ab Assyrijs ADAD, à Turcis Agdi, ab Indis Zimi. Plenæ sunt sacræ litteræ eiusmodi numero, eam ob causam hæc Theologis indaganda permittimus. Non mirum igitur esse debet si ternario, & quaternario tantum tribuitur, tunc eorum causa septenario; cum is ex utroq; constet. Et si apud poetas, terq; quaterque usurpentur pro numero perfectissimo, & absolutissimo, cuius uirtutem pluribus prosequitur Macrobius in Som. Scipionis. & Philo Hebræus in lib. de mundi opificio. De hoc numero dicerè aliqua, nisi me ab instituto nimium desisteret, propterea ad Denarium accuro, qui fluit ex quaternario. Vnum enim, Duo, Tria, & Quatuor Decem constituunt. Ultra quem numerum nulla gens progressa est unquam in numerando, ut anima dicit Arist. in Problematibus, & Hierocles in carmina Pythagoræ. omnes enim ubi ad denarium perueniunt, rursus ab uno repetunt, quasi naturam imitant, quæ in manu ex digitis eiusmodi numerum apposit. Neq; enim fortuitum censendum est, uerum ex naturæ fonte propagatû, quòd semper fiat similiter ubiq; Thracum gens tantum narratur ad quatuor numerandi seriem terminare, quòd memoria laboraret puerorum more. Denarij præstantia ex ea re cognosci potest, quòd omnia numerandi genera continet, Par, & impar, quadratum, quadrantale sine cubum, longum, planum, & pyramidalem, primum, & compositum. Atq; ut ex quaternario fit Decas, ita decies decem constituit Centum, decies centum mille, Decies millia summa est perfectissima. Quam ob causam Antiqui *τέλειος* id est perfectum hûc numerum appellabant. Iure igitur apud sacras litteras, denarij appellatione, quem pater familias ille euangelicus uineę cultoribus pollicetur, perfecta, ac beata uita significatur. Romulum quoque legimus post constitutum regnum permulta denario numero còclusisse. Nam Senatores in X. decurias distribuit: Urbem in curias terdenas, Equitesq; in totidem decurias, itidem principes, & hastatos, & pilanos denario numero terminauit, annuq; in X. menses diuisit. In homine quoq; qui omnium animantium perfectissimus existit, præter X. digitos quibus manus, & pedes constant, asserunt os capitis à mento ad frontem summam: & manus palmam ad medium usq; digiti summam mensura decies repetita perfectâ altitudinè dimetiri. Ex numeri huius religione quadam, & obseruantia morem fuisse apud ueteres scribit Cæl. Rodiginus, ut iustissimi quiq; fidei comparandæ gratia dextras iungerent, quia sic denarium præmitterent numerum. Hanc etiam ob causam Aegyptios legimus cum reges suos, qui cæteris rerum gesta

rum gloria præstitissent, ornare uellent, metas, & pyramides super eorum sepulchra constituisse. Pyramidis enim basis centum pedum latitudine cõstituebatur, totidẽq; altitudine, quibus iuxta quadrati naturam diductis Myrias constatur, qui numerus totam metam componit. Pythagorici Decada mundum appellabant, quod ex X partibus hunc constare extimabant. Neque prætermittendum est Platonem Denario, Centenario, Millenario numero ad delendam culpam usum esse, cuiuslibet uoluptatis gradu suppliciorum X tribuendo. quod doctissimus poëta non ignorans ubi animarum supplicia prosequitur, modò centenarium usurpat, ut ibi.

Modò millenarium.

*Centum errant annos, volitantq; hæc littora circum.
Has omnes ubi mille rotam uoluere per annos. &c.*

Apud Dialecticos sunt X uoces simplices, siue X summa genera, quæ prædicamenta appellantur. Diducunt Astrologi cælum in X sphaeras; & sphaeram materialem ex X circulis componunt. Apud sacras litteras sunt X legis præcepta Mosi à Deo assignata. Sunt & X Virgines cum lampadibus, quæ contemplatiuum Typum referunt. Hæc de Denario, uenio ad Duodenarium, qui etiam ex quaternione fluit. nam hic per ternarium complicatus Duodenarium efficit magis diuinum, quam terrestrem. Fit Duodenarius ex quaternario elementari, & ternario diuino, ac quasi uinculum existens humana cum diuinis connectit. Plato in Phædone maxima generatione hunc numerum prosequitur, cum mundum XII faciebus, totidemq; coloribus distinguat. Idẽq; ut Remp. suam cælesti consimilem redderet ciuitatem, & agros, hoc numero disponit, & in lib. de Rep. duodenarium solidat, in corpusq; reducit, quo ubi ipsa peruenerit, suum finem assequi arbitratur, at si exceleserit, fatali lege corrumpi, & in peius ruere. Est. n. numerus, ad quem Plato Ciuitatem reducit 128: nam millenarium numerum stellarum multitudini adscribit, In septingentis planetarum uires apponit, in XXVIII. lunæ motum innuit: Nullibi frequentior hic numerus extat, quam in sacris litteris, quæ res eius diuinitatem maxime testatur. Ioannes in calce sua uisionis ab arbore uitæ per singulos menses XII. fructus produci asserit se uidisse: Ciuitatemq; illam super nam constructam describit XII. fundamentis ex pretiosis lapidibus, cum XII. nominibus Apostolorum, totidemq; portis distinctis, quibus totidem Angeli præsidebant, & in quibus erant scripta XII. tribuum nomina, singulaq; latera XII. millium stadiorum spatio metitur, ut uates Ezechiel antea fecerat. Approbavit hunc numerum Deus Opt. Max. qui Israeliticam gentem in XII. familias distribuit, eisdemq; XII. duces præfecit Sic XII. lapides in Iordane collocandos iussit, & sacerdotis pectus XII. lapillis ornari uoluit. XII. esse propositionis panes, totidem lapidibus altare construi. Præterea XII. boues mare æneum à Salomone constitutum sustinebant. Post maris rubri traiectionem XII. fontes primum inuenti fuere, totidemq; exploratores in promissam regionem præmissi. Hoc numero insignis est Christi Apostolatus. XII. milia fuere ex qualibet familia signati. Reginam XII. stellis coronatam, describit Ioannes. XII. corbes collecti fuere ex panis fructis. Zodiacum in XII. Signa partiti sunt Astrologi, Annum in XII. menses, Diem artificialem, & noctem in duodenas horas, Luna Singulis diebus XII. gradus Zodiaci excurrit; Iupiter duodecimo anno cursum perficit. Poetæ quoque XII. deos Signiferi sideribus assignant, quam rem Manilius suis uersibus testatur. Terrestria quædam eodem numero gaudent, Nam Lepus, & Cuniculus duodecies in anno generat: Camellus XII. mensibus utero gerit, Pavo XII. ouis incubat. Ex his, quæ dicta sunt, (ut iã receptui canamus) facile cuiq; patere potest, cur doctissimus poëta eiusmodi numeris opera sua distinxerit, Adhibuit primum in uniuerso opere ternarium ut Deo opt. max. imitaretur, qui triplici ordine omnia dispensat, ut iam supra declarauimus. Est poëta Deo adsimilis, nam ut ille nulla præsentem materia, quæcunq;

ei

ei libitum est, creat, ita & poëta etfi nullam adscribendi argumentum, omnia pro arbitrio effingit. Vnde & nomen habuisse uidetur, *poëta* enim facere fig. sic & D. u rerum factorem, opificemque solemus appellare. Bucolicum carmen, quod humilia tractat, elementari infimæ mundi parti recte poterimus comparare, ut Georgicum cælo, cuius uirtute cuncta gignuntur. Aeneidos uerò, ubi de Heroibus, & de Dijs agitur opus excelsum & diuinum supremæ, & diuinæ mundi parti non incõcinnè dabitur. Huc accedit, quod peritissimus poëta uoluit triplicem stylum exercere, & tres præcipuos poetas apud Græcos imitari, Theocritum scilicet, Hesiodum, & Homerum: Quod uerò Eclogas denario numero distinxerit, id prudenter eum fecisse existimamus. Pertinet enim opus illud ad pastores, & ad cæteras animantes quarum natura perfecta est, & absoluta, quemadmodum denarius numerus omnium finis est, & perfectio. Donatus in Maronis uita asserit ætatem scenarum pastoralium non posse ultra hunc numerum proferri. At Georgicis, ubi de terræ cultura agitur, quaternario non temere datum est, cum terra mundi cubus sit, basis, & fundamentum. Est enim in media mundi sede locata, & undique ipsa in se se natibus suis conglobata, quæ & si rotunda cõstet figura, quatuor tamen regionibus distincta est. Nec minus Duodenarius diuinus numerus diuino operi Aeneidos conueniebat, quo Heroũ gesta, & Deorum consilia continentur. Aprissime id quoque ea de ratione factum esse statuimus. Est enim Epopeia, quæ magnanimatorum ducum facta continet, Cælo stellifero adsimilis. Nam ut cælum ex pluribus orbibus constat, pluribusq; luminibus nitet, & inter sidera Sol principatum obtinet, ita Epicum carmen ex pluribus Epilodijs connectitur, & per multis fortium uiroium factis splendet, interq; eos semper eminent Princeps aliquis Solis instar, cuius laudes præcipue celebrat poëta. At uidete (quæso) quam apte XII. Aeneidos libri cum XII. Zodiaci sideribus (quæ proprie Signa appellant Astrologi) consentiant. Primus adest Aries animal natura pugnax, cornibus occurrentes impetens: At primus liber uentorum impetum in Aeneæ naues cõtinet; tum amoris initium, quo Venus Didonem aggreditur. Sequitur Taurus in aduersarios impetu maximo ruens, & quæ nanciscitur, prosternens. At secundus liber Græcorum in Troianos furorem describit, quo Troiam tanquam tauri ruentes sunt demoliti. Erat & Taurus Neptuni uictima, quem Laocoon Maris Deo in eodem libro mactat ad aras. Ibidem explicantur quoque Corcebi, & Aiæcis furia. Tertium ordinem sibi uedicant Gemini id est Castor & Pollux nauigantium præsides. His respondet tertius liber, quo nauigantis Aeneæ describuntur errores. His proximus est Cancer, qui in amore Ioui suum munus præstitisse dicitur, cum Garamantida fugientem tenuit. Neque aliud quartus liber habet, quam Didonis & Aeneæ amores. Atq; ut sol ubi primam Cancris sidus attingit, iam ex Septemtrionali plaga recedere incipit, sic ibi explicatur Aeneæ recessus ex Africa. Quintam sedem occupat Leo animal magnanimitate insigne, & in ludorum celebritatibus admodum frequens. Sic quintus liber Aeneæ magnanimitatem splendoremq; in ludis, in patris honorem celebratis recenser. Sexta pars Virgine insignis emicat, Iustitiæ quæ symbolum est. Eius munitus esse non ignoratis tribuere unicuiq; prodignitate. Ita & sextus liber fulget inter alios malorum poënis, et bonorum præmijs, cuiq; pro dignitate redditus. Atq; ut septimo spatio pendet libra: Sic septimo libro apponuntur tanquam in trutina Troianorum; ac Latinorum uires, & belli causæ, & apparatus. Nec minus pestifer est Scorpij mortuus octanum domicilium habentis, ac Caci nefarij latronis rapinæ, cuius interitum octanum liber apte ante oculos proponit. Nona domus sagittarium sustinet, terram grandine, imbreque pulsantem. Sic nonus liber Turnum Troianorum moenia iaculis, cæterisque militaribus telis impugnantem continet. Decimam aream cælestis occupat Capra, quam ubi sol ingreditur, è remotissima parte ad nos iterum redire

parat. Sic decimus liber AENEAM ex HENURIA, quod ad TARCHOTEM profectus erat, ad Troianos suos iam redeuntem facit. Undecimus campus ab Aquario irrigatur, qui atris tempestatibus annum contristat. Nec minus undecimus liber tristis est Pallantis funere, & Camillæ cade, quorum alterum AENEAS & EVANDER, alteram OPIS misere deplorant. Deniq; postremus liber clauditur certamine inter AENEAM, & TURNUM confecto amoris causa, ut ZODIACUS piscium duorum sydere terminatur, in quos mutatos fuisse asserunt VENEREM, & CUPIDINEM amoris praesides in certamine illo inter IONEM & TYPHOEM. Videtis ergo Academici quanta arte doctissimus uates opus hoc AENEIDOS contextuit, & quâto clarioribus luminibus ipsum illustrasset, nisi immatura mor e fuisset oppressus. Finem dicendi faciam, si illud unam adnotatione dignum tanquam corollarium addidero. Sextum librum admirabili doctrina esse referunt, quod cur factum sit, audite quaeso. Est inter ceteros numeros Senarius magni momenti, cui multum non solum Philosophus tribuisse constat, sed etiam Deum ipsum, qui sex dierum spatio cuncta creauit; neq; id ratione caret. Primum enim ex omnibus numeris, qui intra decem includuntur, solus senarius de suis partibus constat. Habet enim medietatem, & tertiam partem, & sextam. Sunt enim tria, duo, & unum, quae simul iuncta senarium constituunt. Tum quia inter numeros generationi aptissimus est, ut qui mascula natura simul, & foeminea praeditus est, & compositus ex utriusq; uiribus pari scilicet, & impari, cum imparium ternarius principium sit, parium uero binarius. Hanc ob causam Pythagoras hunc numerum generationi, ac nuptijs dicit, & GAMON appellauit, propter paris, & imparis commixtionem, ut Plurarchus asserit. Hinc quoq; effectum esse Theologi arbitrantur, ut ad mundi opificium hic numerus a Deo Opt. Max. fuerit adscitus: sex enim dierum spatio omnia suas formas suscipere. Quam rem Philo explicans inquit. Rusticae simplicitatis est, putare sex diebus, aut utiq; certo tempore mundum conditum esse, quia totus mundus uicissitudo est dierum ac noctium, quam solis motus super terram, & sub terra meatibus necessario conficit. Ergo cum audis, compleuit sexto die opera, intelligere non debes de diebus aliquot, sed de senario perfecto numero, qui primus in tres partes aequales diuiditur. Huius numeri uirtute instigati Pythagorici sex principia rerum posuere. Solem, lucem, lumē, splendorem, calorem, & generationem. Neq; defuere qui per solem aiunt eos intellexisse Deum patrem, Lucis appellatione filium, per lumen Mentem Angelicam uel mundum intellegibilem, per splendorem mundi animam, per calorem mundi spiritum, per generationem chaos, uel materiam informem. Est praeterea hic numerus animati corporis motui aptissimus: mouetur enim ante & retro, sursum & deorsum, Dextrorsum, & sinistrorsum. Nam circulo moueri superiorum corporum est proprium. Iure igitur omni doctissima sextum hunc librum doctissimus poeta referat, eodemque AENEAE errores terminauit, conclusitq; omnia quaecunque HOMERUS XXIIII. libris complexus erat, cum non ignoraret senario plurimum tribui. Eum praeterea in medio sui operis collocauit, cum de inferis ageret, quos mundi centrum occupare, aut ad illud quam proxime accedere optime sciret. Adhuc arbitror sextum hunc librum Manibus dicasse, ea de ratione quod Pellus sex Dæmonum discrimina esse asserit, quorum primum per sublimem aeris partem uagari scribit, igneumq; esse: secundum aereum ex crassiori nebula, tertium aqueum, quartum terrestre, quintum subterraneum, quod in puteis, & antris plerumq; apparet. Quae res facit, ut non omnino fabulosum existimandum sit, quod fertur de Antro NURSIAE, & responsa data in antris fuisse: sextum denique genus ait lucifugum, at tenebricosum esse, algoriq; perpetuo damnatum. Recte igitur de inferis tractaturus poeta eum elegit numerum, quo Manes distincti sunt. Et si per hominis aetates excurrere libet, sex hosce libros illis quam maxime similes comperiemus. Humanas enim actiones poeta describit affectionesq; cuiq;

cuiq; aetati congruas. Sic primo libro uidetur infantia expressa humore oppleta, ac ueluti AENEAE clasis pluribus morborum procellis agitata. Post pueritia magistrorum cenitae subiecta ueluti altera Troia assidue flagellis ac nerberibus caeditur. Tum adolescentiae incostantia huc illuc nulla ratione perturbationum impetu ferui haud secus ac Troiana classis. Nec minus iuuentus rota est in amore posita, atq; AENEAS regni oblitus in Cai thagine moratur. Quærit opes uiriliter ætas & inseruit honori, ut AENEAS præmia uictoribus distribuit. senectus deniq; uarijs torquetur ærumnis, cui nihil propius est morte. At de ijs, qui uita excessere sextus hic liber conscriptus est. Sed uideo me satis superque hæc prolecutum esse: ignoscite quaeso: rei grauitas diutius, atq; proposueram, me remorata est. Atq; si longius, ac arbitrabamini, me excuisse uideatis, id ascribite numero: u naturæ; in longum enim eos produci solere, non ignoratis.

IOAN. LEONARDVS GATTVS.

DE IIS QVAE AD VIRGILIVM SPECTANT

ALTERAM HABVIT LECTIONEM.

CAMPIDVCTOR.



VM iam diu mecum ipse cogitasset, quæ res efficeret, ut ex Virgiliana lectione incredibili uoluptate perfunderemur; (Neque enim imitatio sola in eo poeta uidetur) occurrit tandem id præcipue & maxime ex multarum rerum, & maximarum admirabili uarietate proficisci, tum ex uerborum, quibus illæ explicantur aptissimo contextu. Nam quis ignorat, nihil magis animum capere, quàm uarietatem, qua nihil delectabilius natura ipsa unquam uidetur inuenire potuisse. Neque aliam ob causam magnifici apparatus, mensaq; optime instructæ delectant, nisi ob maximam epularum copiam, cæterarumq; rerum, quæ ad splendorem, ac magnificentiam pertinent. Sunt res ab hoc præstantissimo poeta excogitatae si apte natura iucundissimæ, quibus pulcherima uocum conexio addita concentum tam suauem auribus offert, ut nulla musica instrumenta apte consentientia id melius efficere ualeant, uoces enim rebus tam apte coniunxit, ut non solum dictionum, sed etiam syllabarum, & litterarum prudentem delectum uideatur habuisse. Quid referam, & uita quædam interdum tanta a te esse consecratum, ut quæ ab alijs uel alio loco posita in carmine tanquam turpissima macula narentur, ipsi soli admirabilem pepererint gratiam, ac uenustatem & quemadmodum & musicorum mos est, asperas quædam uoces usurpare, quæ dulci aliquo sono mollitæ suauissimum auribus concentum exhibent. Nihil enim ad aures demulcendas, & ad sermonis suauitatem aptius est, quàm uicissitudo; & commutatio. Hæc res quoq; historiae lectionem tam iucundam facit, quod tota est temporum uicissitudinis, & rerum commutationis plena, quæ & si in experiendo optabiles non sunt, legendo tamen mira delectatione animos explent. Hæc igitur uarietas est, quæ Virgilijs poemata. (ut ab Academico nostro audistis) magna asperit iucunditate. Eam uero, qualis, quanta ue in numeris fulgeat; ipse in lectione sua & grauitate, & copiose explicauit. Per multa quoq; dicturus erat de huius operis uicissitudo, auctorisq; proposito, tum de ordine; quem in his AENEIDOS libris adhibuit. Cæteraq; cognitione dignissima, quæ poetæ admirabile artificium indicarent. Sed defessus ipse de more excipere uolui, onereq; quo ad possum, leuare, ut & personarum, & uocum uicissitudine, ac uarietate auditorum quoq; animi minus audire molestia afficiantur. Dicam ergo de ijs, quæ reliqua sunt, ut potero. Vos hanc animi sedulitatem boni consulite. Poetæ propositum (ut hinc sit orationis meæ exordium) esse uide-

uidetur non solum Augusti Cæs. & Romanorum laudes diuino hoc suo catmine com-
plecti: sed optimi principis partes sub AENEAE persona explicare, haud secus ac diu-
nus ille Homerus prudentem ac humanarum rerum tolerantem uirum sub Ulyssis
persona, fortem, & iracundum sub Achillis nomine complexus est. Quare huius operis
subiectum esse statuerem Optimum Principem, qualem & Xenophon in eo libro, qui
de Cyri pædia inscriptus est, elegantissime profecutus est. Quemadmodum & Plato
in libris de Rep. Ciuitatem bene institutam describit. Aristoteles felicem hominem
in Ethicis. Cicero Eloquentem uirum in libro de perfecto Oratore. Horatius omni-
bus numeris absolutum poetam in sua Poetice. Quorum instituta & recentiores qui-
dam sunt imitati, qui uel Musici, uel Aulici, uel Militis, uel Concionatoris partes
describere. Hoc poetæ proposito quid utilius in ciuitate existere possit, nõ uideo, quæ
nihil melius nancisci potest, quàm bonum Principem, à quo recte possit gubernari.
Pessime enim agitur cum ea ciuitate, cuius Rex puer est, ut inquit Sapiens. Ex rege
sunt boni, & mali ciuium mores. Tales enim ciues esse, quales & reges, clarissima est
Platonis sententia. Non tantum mali (inquit Cicero) est peccare principes (quan-
quam est magnum per se ipsum malum) quantum illud, quod permulti etiam imitato-
res principum existunt. Nam licet uidere, quæcunque mutatio morum in principi-
bus extiterit, eandem in populo esse securam. Nec solum uitia concipiunt ipsi princi-
pes, sed eam infundunt in ciuitatem, plusq; exemplo, quàm peccato nocent, cum stu-
tiose pleriq; facta principum imitentur. Hinc accedit, quod ob principum scelera ple-
runque populi dant poenas: uerum enim illud est. Quicquid delirant reges, plectun-
tur Achilisi. Declarauit hoc apud sacras litteras Davidis libido, cuius causa populus
graui lue multatus est. Sed ad principis partes uenio, ut quæ illæ sint, & quàm docte
eas Virg. in AENEAE expresserit, facile pateat. Præcipuū in Principe illud esse statuo,
ut Pietatem colat, ac Iustitiam, siue Aequitatem. Nam ut Aequitas ei beneuolentiã
apud ciues conciliat: sic Pietas Deum ipsi propitium reddit. Prudenter Aegyptios
fecisse comperio, qui regium sceptrum ciconiæ effigie insigne à Rege gestari uolebāt.
Ut omnibus in rebus agendis pietatis meminissent, nihilq; sine æquitate molirentur.
Plurimum ad beneuolentiam ualere pietatis opinionem, ac religionis docuit Alexan-
der, qui etiam superstitionem laudare solebat, ut in plebis animos ciuitatis rectores
allabi possent. Hac uirtute duce quot bona Romulus, Numa, Africanus, Camillus,
Scipio, apud Romanos pepererint & quæ apud Persas Cyrus, apud Cretenses Mi-
nos, apud Lacedæmonas Lygurgus, abunde testantur historiæ. Harum uirtutum, ut
& careerarum omnium auriga est Prudētia; quæ nisi aderit, migrat Iustitia in fauētē,
Fortitudo in temeritatem, Pietas in licentiam, Religio in uanitatē; Frugalitas in ana-
ritiam. Prudentiæ partes sunt Memoria præteritorum, Intelligentia præsentium, Pro-
uidencia futurorum. Eas omnes in AENEAE poeta explicat, ubi eum Anchisæ dicta re-
petentem facit, præsentibus malis remedia & re, & uerbis afferentem. Denique in
discessu futura prospicientem, cum Teucros in allo septos ad Euandrum profecturus
reliquit. Sed uidete eiusdem multiplicem pietatem, cuius gratia Pij cognomen for-
titus est, in Deum.

Sum pius AENEAS raptos qui ex hoste Penates

Classe ueho mecum, fama super æthera notus.

Deorum cultum passim ostendit in sacris, quibus ipse uel affuit, uel præfuit. Nec
minus & reuerentiam cum patrios Penates e bello digressum atrectare metuētem
facit. Pietatem in patriam, cum eius tuendæ gratia toties caput periculis obiectan-
tem inducit. Quid eiusdem pietatem referam in parentem, in coniugē, in mortuos?
indicant eã clarissime pater humeris sublatus, & ex medijs ignibus ereptus, coniunx

ab eo

ab eo tam miserè in clamata: Pallantis funus magna pompa apparatus, Polydori in-
feriæ instaurata, Miseni & Caietæ sepulchra. Tanta eius uiri pietas est, ut etiã in ho-
stes se proferat. An non eum clamantem auditis in prælio æque ac alterum Cæsarem
in Pharsalica pugna? ò cohibete iras. Nunc eundem Palinuri casum: nunc socios tem-
pestatibus astos lugentem auditis. Iustitiam fortitudini coniunctam indicant Ilionei
uerba illa.

Rex erat AENEAS nobis, quo iustior alter

Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Decet quoque in optimo principe inesse quatuor illa, quæ Cicero in oratione
pro Lege Manilia pluribus explicauit. Scientiam rei militaris, uirtutem, auctorita-
tem, felicitatem. Quis hæc in AENEAE non clarissime perspicit, quæ etiam hostis ille
Troianorum acerimus Diomedes tacere non potuit? His accedunt uirtutes illæ Impe-
ratoriæ labor in negotiis, Fortitudo in periculis, Industria in agendo, celeritas in
conficiendo: Nec minus & multæ artes eximæ huius præclaræ bellandi uirtutis co-
mites, Innocentia, Tèperantia, Fides, Liberalitas, Magnanimitas, Humanitas, Vi-
gilantia, Gratificatio, Eloquentia, quibus uirtutibus decet principem præditum esse.
Neque enim tanto nomine is dignus esse potest, qui nequit iracundiam cohibere, qui
auaritiam coercere, ceterasque animi labe reppellere, qui n. sibi nescit imperare,
non uideo quomodo aliis recte possit imperare: nec quomodo alios continere, qui se
ipsum non continerit. Decet quoque Principem ceteros non tam uerbis, quàm suo
exemplo hortari, primumque agenda interdum aggredi. Sic apud Virgilium legas.

Nec non AENEAS opera inter talia primus.

Idemque filium his uerbis alloquitur.

Disce puer uirtutem ex me, Verumq; laborem.

Regium quoque est in aduersis non frangi, præsentis animo esse, nec aduersanti fortu-
næ succumbere: præterea secundis in rebus non temere se efferrè; humaneq; con-
ditionis obliuisci. Nec minus in bello fortem se præstare, quàm pacis studiosum, cuius
caussa bella sunt suscipienda. Quæ omnia exemplis ab eodem poeta petitis confirma-
rem: nisi uobis, quorum manibus præstantissimus ille auctor assidue teritur, clarissima
esse perspiceret. Eiusmodi uirtutibus, ceterisq; his similibus munitus erit princeps, qui
laudis cupiditate ducitur, tunc uere dici poterit AENEAS .i. laude dignus, Veneris,
id est suauitatis, & uenustatis filius, à Ioue genus ducens, id est à Deo illo, in
cuius manu sunt corda regum, & à quo in terras ad homines iuuandos missus est. Is Vene-
re duce in Italiam pertueniet, Id est amore accensus felicitatem nanciscetur. Et si nõ
ignoro esse quosdam, qui hoc Veneris studium, amoremq; in AENEAM aliter inter-
pretentur. Existimant enim Venerem AENEAE horolcopi dominam fuisse, idq; cum
Ioue, quibus rebus significabatur AENEAM regnum assecuturum esse mulieris auxi-
lio; sunt enim duo hæc sidera salutaria, ac prospera. Ea propterea Fortunas Astrolo-
gi appellant. Quæ etiam de ratione & Homerus appellat reges *διωρρακος* quasi Ioue ge-
nitos, & nutritos. Idemq; fingit AENEAM Veneris beneficio è Diomedis manibus
ereptum fuisse, quia eo anno Venus erat in octaua, quæ infelicitata in excidio eri-
pit è morte. Sed in patria nequit retinere. Postea meliore fato fingit, Virg. eum in Afri-
ca à Didone receptum. Rursum in sequenti anno classem mulierum manu amittere, quod
minus bene collocata id impedire non poterat. Deniq; cum Venus in medio cæli
coniuncta esset cum Ioue, eripitur AENEAS ex tempestate, & ex Pœnorum perfidia, idq;
Mercurij interuentu, qui sua præsentia ceterorum planetarum bona, uel mala auget.
Video me præcipuum Virgilij propositum in Optimo Principe instituendo pluribus,
ac putabam, esse profecutum, neq; illud ignoro, multo me plura prætermisisse. Sat

igitur

igitur erit rem attigisse. Hac eadem uia ceteras principis partes, quæ innumerabiles in hoc poeta reperiuntur, cuiq; inuestigare licitum erit. Ipse ad aliud poetæ accuro propositum, quod ad eius imitationem spectat. Constat enim Virgilium in præclarissimo hoc Aeneidos opere Homeri uestigia esse secutum, quodq; ille duplici poetæ nate profectus est, hunc uno tantum cõplecti uoluisse. Itaq; quod ille in Odyssæa XXIII. libris de Ulyssis erroribus cecinit, hic sex prioribus libris conclusit, totidemq; posterioribus quod ille alijs XXIII. de Troiano bello collegerat. Vtriusq; poetæ propositum fuisse uolunt, duplex hominum uitæ genus explicare, tam illud, quod in actione consistit, quàm illud, quod in contemplatione positum est. Quod si ita est, meliorem ordinem ab Homero seruatum fuisse dicemus, quàm à Virgilio, cum ille actiuam uitam in Iliadè expresserit, contemplatiuam uerò in Odyssæa. Nam per agendi facultatem ad contemplantum munus aditus patet. Contra Virgilius fecisse uidetur: & si dignitatis ratione alteram alteri præposuisse censendus sit. Mea tamen sententia est utriusq; poetam, & animi, & corporis uires, quibus homo constat, explicare uoluisse: corporis robur uidetur Homerus in Iliadè profectus, animi dotes Odyssæa conclusit, à notiori ad ea, quæ minus nobis cognita sunt procedens. At noster uates maiora semper affectans, quod dignius erat, præponere uoluit, sic alio ordine animi facultates ex prioribus libris expressit: corporis dona sex alijs posterioribus. Frustra enim corporis uires exercentur, nisi eas animi uires moderantur. Eademq; in re prudentissime Virgilium egisse uideo, cum utraq; uno poemate complecti maluerit, neq; illa seorsum tractare, ut Homerus fecit, ut indicaret, eum, qui publicis rebus præpositus est, utriusq; simul præditum esse debere; cum magistratum gerentis, aut principatum tenentis uiri proprium sit, & diuina nosse, & humana gubernare, præclareq; cum ea ciuitate agi, ubi illud Platonum sit, ut uel rectores philosophentur, uel philosophi regnent. Quam rem optime indicasse uidetur Admetus ille, in suo quodam insigni apri, & Leonis imagines simul iunctas gestans, in quorum altero corporis, in altero animi uires exprimebat, cuius rei gratia Apollini sapientiæ præfidi, & Herculi corporis laboribus præposito acceptissimus fuisse dicitur. Cum id doctissimus uates optime sciret, admirabilisq; sapientia principem uirum præditum esse debere non ignoraret, eam ob causam totum opus, & sex priores libros præfertim, qui ad animi uires pertinent, philosophia asperfit, cuius nulla pars extat, quam ipse suis in locis nõ optime expresserit. Est enim ea in nature obscuritatem distributa, in disserendi rationem, in uitam, atq; mores, naturali innititur, ubi de astris, de fulminibus, de nubibus, de tonitru, de iride, de mundo, de fato, de anima, de uentis, de Heroibus, de inferis, cæterisq; rebus ad naturæ secreta pertinentibus elegantissima profertur caetera. Vbi raro de ijs loquitur, quin effecta simul cum suis causis coniungat. Ut ibi. Ingeminant abruptis nubibus ignes. Et de Iride. Mille trahit uarios aduerso sole colores, quibus in uerbis causas simul fulminum & Iridis effectrices breuissime innuit. Dicendi uerò facultatem quis Virgilio elegantius, ac floridius est profectus? indicat id orationes in omni dicendi genere ab eo compositæ, totoq; opere diffusæ, quarum artificium nemo satis unquam poterit admirari, adeo admirabilis est in exordiando, adeo breuis in narrando, adeo in confirmando acutus: adeo in refutando grauis, adeo in concludendo artificiosus, adeo in suadendo efficax, & in consolando tam dulcis, ut ne Ciceroni quidem ipsi eloquentiæ patri concedat. Quod uerò ad concitandas animi affectiones pertinet, (quæ res in poemate maxima est) ad amplificationes, ad similitudines, ad exornationes, ad expolitiones, ad epitheta, ad figuras, ad tropos, ad cæteraq; oratoria ornamenta adhibenda adeo aptus, adeo uentus est, ut Homerum ipsum hac in re superasse omnes existiment. Quod ad Stylum attinet, quàm est modò maturus, ac grauis, modò remissus, modò ardens, modò erectus, nunc concitatus, nunc

nunc

nunc immensus, ac ueluti rapidus amnis saxa deuoluens, adeo, ut qui in diuersis dicendi generibus diuersis temporibus extiterit, eos omnes solus Virgilius expressisse uideatur. Deniq; pulcherrimam illam, ac sanctissimam philosophiæ partem, quæ de uita est, ac moribus, quis Virgilio aptius, clariuscq; ante oculos proposuit? is enim, quæcunq; philosophi præcepere tam de sacris, quàm de ciuilibus, tam de publicis, quàm de priuatis rebus, aptissimis illustrauit exemplis. Quid enim Aeneas nauigatio nobis ostendit, nisi hunc nostræ uitæ cursum, quæ tot miseriarum præcellis, undiq; circumuallata est, & quæ tot perturbationum fluctibus assidue agitur? Quid latium factorum decreto Aeneas promissum indicat, nisi caelestem illam patriam, ad quam per labores, & ærumnas contenditur? Quid Sirtes? Quid Strophades harpyiarum domiciliæ? Quid Scylla? Quid Charybdis? Quid Didon? nisi humanas angustias, nisi uoluptatis illecebras, quibus hominis uita infestatur assidue? Quid Mercurius Aeneam à Carthaginis delitijs reuocans, nisi diuini numinis auxilium est, cuius beneficio à scelerum uia abstrahimur? Quid ludi in Anchisæ honorem celebrati ostendunt, nisi lætitiæ illam, qua animus afficitur ex prauæ uoluptatis laqueis ereptus, ac liberatus? Quid excurtus ad inferos est Sibylla duce, nisi scelerum turpitudinis cognitio, quæ fit sapientia duce, sceleratorum hominum supplicia demonstrat? Quid Elysiu, nisi uirtutum exempla, quæ quisquis sequitur, eum uirtutis præmia assequi necesse est? Quid bella gesta cum Mezenzio, cum Camilla, cum Turno: nisi cõcertationes uariæ, quas assidue gerimus cum mundo, cum carne, cum hoste stygio? Sed illud præcipue consideratione dignum mihi semper uisum est, Aeneam nunquam Latium attingere potuisse, nisi prius Palinuro, Miseno, ac Caieta extinctis. Quæ res proculdubio indicat ad beatam uitam neminem peruenire posse, quin prius auaritiæ malorum seminariu, ambitionem regnorum, ac urbium incendium, deniq; uoluptatem humani generis pestem penitus extinxerit. Est Palinuros naua auaritiæ symbolu, qua ut plurimum mercatores, nauarq; laborant. Est Misenus ambitionis, inanisq; gloriæ indicium, quam præcipue sequuntur, qui in ciuili uita uersantur; Neq; enim aliam ob causam. Hectoris, & Aeneas comes est Misenus, nisi quod hæc semper præstantioribus uiris adhæret. Propterea Misenus tubicen est, & AEoli filius, quod uentosa res est inanis gloria. Is moritur, cum Aeneas à Sibylla pendet: Nam eo tempore extinguitur ambitio, inanisq; gloria, cum uir bonus pendet à diuino consilio, atque adeo à Christi ipsius uerissima doctrina, qui docet, si quid recte agimus, nolle nos tuba canere. Est denique Caieta blanda nutrix uoluptatis Typus, quæ suis blanditijs ad caelestem patriam aspiranti animæ plurimum obest. Quod cum non ignoraret Hetruscus ille poeta, tris illas belluas Pantheram, Leenam, & Lupam in siluæ limine sibi occurrentes facit, quæ nihil aliud nisi uoluptatem, ambitionem, atq; auaritiæ significant, ut harum bestiarum naturas inspectantibus facillime patere potest. Verum hæc nimis exacte persequi molestum esse uideo: idcirco ad ordinem propero, quo doctissimus poeta in hoc opere usus est. pertinet enim ordo ad artificium, ut & cætera, quæ diximus. Iam illud clarum esse apud uos arbitror, duplicem esse ordinis rationem; Naturæ, & artis. Naturæ ordinem sequuntur historici, quo res, ut gestæ sunt, ab illis narrantur; & quem nisi perpetuum seruari, ueritatisq; legibus neglectis tempora peruerterent uoluptati potius quàm ueritati studentes historici fidem abrogarent. Artis uerò ordinem, quo nulla res suo loco collocari ut gesta sit uidetur poetæ utuntur, qui præpostere omnia narrant uoluptatè præcipue affectantes. Quare apponunt in principio aliqua, quæ sunt fini proxima: quædam in medio, quæ ad principium pertinent. Cum poetis propositum sit, lectorem, uel auditorem delectare, principio solent enim ueluti in fine collocare, uident. n. priora esse magis horrida, uerenturq; ne si auditorem statim fatigent, ante finem recitationis amittant. Propterea ubi eum uoluptate aliqua delin-

tum, ac

tum, ac ueluti irretitum tenent, aliquam personam substituunt, quæ captata occasione priora narret: sic ueluti aliud agendo auditorem à postremis ad prima non inuitum reuocat. quod Hor. in sua poetice his uerbis explicauit.


*Ordinis hæc uirtus erit, & uenit, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.*

Id diligentissime obseruasse Virgilium, nemo est, qui non uideat. Is enim cum in operis initio pollicitus esset, producturum esse Aeneam de Troiæ littoribus, ubi ad narrationem accedit, de Sicilia proficiscentem facit. Qua in re optime Homerum imitatus uidetur, qui Vlyssis errores non de Troiano litore, sed de insula Calypsonis auspicatur, Idemq; ea, quæ præcesserant, in Didonis conuiuio narrantem inducit, ut Homerus Vlysses in Alcinoi cœna. Nec minus in ordine præstantes hi poetæ consentiunt, quàm reliquis in rebus. Exorditur Homerus ab Apollinis ira in Achiuos in Iliade, & à Neptuni odio in Vlysses in Odysea. Virgilius à Iunonis ira, & odio in Aeneam, & in Troianos. Sunt penè in utroq; earundem rerum descriptiones, comparationes, bellici apparatus, cæteraq; poetica ornamenta, & portenta, ut Scylla, Charybdis, Polyphemus, Circe, Inferi. Est apud Homerum Alcinoi conuiuium parans, apud Virgilium Dido. Ibi suos errores narrat Vlysses, hic Aeneas: ibi sunt solis armenta, hic Strophadum pecora passim errantia: ibi Elpenor, hic Palinurus: ibi Thirestias, hic Anchises: ibi Patroclus ab Hectore occisus, hic Pallas à Turno: Ibi Achilles, hic Aeneas: illic Hektor, hic Turnus. Apud utrosq; sunt captiui inferijs de Ænati, apud alterum Achillis clypeus, apud alterum Aeneas scutum uariarum rerum imaginibus effingitur. Deniq; in utroq; opere sunt ludicra certamina, uaria funerum genera, fœdera, nocturnæ speculationes, legationes, querelæ, altercationes, cõsultationes, aliq; per multa. Quamobrè nemo est, qui non uideat Virgilianum opus ueluti de quodâ Homericis operis speculo formatum esse, præstantesq; poetas quasi de gloria cõcertare. Addam illud unum, quod ad poetæ nostri admirabile ingenium indicandũ pertinet: non enim silentio præterire possum admirabilè illâ uarietatem funerum, qua librorum extrema concludit. Videbat is uitæ terminũ mortẽ existere. Eâ ob causam morte alicuius singulos libros terminat. Nam primus cõtinet Didonẽ rogitantẽ multa super Hectore, & Priamo, qui iam obijerant. In secundo Creusa eripitur. In tertio uulgari morte Anchises excedit. In quarto se ipsam Dido interficit. In quinto Palinurus in mare deturbatur. In sexto Marcelli immatura mors deploratur. In septimo est catalogus eorũ, qui bellico furori destinantur. Octauus in Clypei pictura præter aliorum fata describitur Cleopatræ exitiũ. Nonus habet Troianorũ stragem. Decimus Mezenzj, & Laus necem. Undecimus Camillæ graue fatum. Duodecimus Turni casum. Sed ea res maximam parit admirationem, quod inter hæc præterquam Mezẽtij, & Turni, multo maior uarietas in cæteris funeribus extat, quæ in prælijs describit. Quot uulnerum, quot telorum genera, quibus illata sunt, legentibus passim occurrunt? Percuti uiderè licet iugulum, caput, pectus, brachium, femur, poplitem, manũ, genu, torse, claua, bipenni, lude, cratere, conto, sparo, iaculo, sagitta, phalarica, hasta, lanæa, ense. Sed nollem, dum uestra abuter patientia, uerba mea hæc rudia in eiusmodi tela, quæ modo recensui, migrarent, hisq; haud secus animi uestri scdarentur, ac acutis telis hostium corpora uulnerari solent. Satius igitur erit, hic modum facere, ne, dũ uarietate aliqua animos uestros delinire cogito, in fatietatem, ac morositatem aliquam incidam. Dabitur enim Deo aspirante alias occasio, recensendi ea quæ ad diuini huius poetæ admirabile artificium spectant.

ANTONIUS QUADRA

LVDOVICI SENATORIS NOBILISS. F.
HIS VERBIS GRATIAS EGIT.

ACCENSVS,



IX me contineo, quin uos abigam *is uopans* Nam cur inter tot operosas apiculas soli estis factorũ instar ociosi? An ignorantis male ociando mala agere homines discere? An dum permulta de Virgilio arte dicta sunt, mens aliò aberrauit? Eia consurgite, exempla à nostris Academicis nullum laborem subterfugientibus sumite; & ut maiores natu maiora quoq; aggrediamini. Iam hirundines nidus lato construere, stramentoq; laborare certatim student. Formicæ quoq; imbre madefacta semina nunc profertunt, siccantq;. Nunc operosæ apes in floridos excurrunt agros, dulciq; nectare distendunt cellas. Nunc Luciniarum cantu siluæ undiq; resonant. Nunc terra ipsa in sua uarietate picturatur, ac quodammodo de pulchritudine contendere uidetur cum altissimo illo, ac celesti globo, in quo infixi sunt stellarum ignes sempiterni. Vos homines, uos inquam ingenio, & ratione præditi à belluis ratione carentibus uinci finetis? Quid hic tanquam ad Euroram sedetis? air nos, nostraq; uellicaturi, & in ærem censuram adituri, ut Rhinocerotus quidam aduoco naso, aut Theonino dentẽ facere solent. Est, ne hic Zoilus aliquis proboscide nos conficturus. Sed quid imprudens ago? Quibus uiris oblatro? Vos estis nostrorũ studiorum patroni, Vos tutores, Vos patres, Vos hic nostris lusibus adesse, & tanquam lenes Zephyri aspirare soletis. Ad sunt hic duo FABRITIUS, BRANCACIUS & SAMMARCUS, duo lumina urbis nostræ, duo togæ sidera lucidissima. Ad sunt MARIUS, & M. ANTONIUS. Sargentij Equites nobilissimi, Reip. ornamenta, quorum alterius singularem in patrocinijs tuendis industriam, fidemq; alterius, in publicè explicandis legalibus nodis eruditionem nequeo satis admirari. Quis procul ille autem laurea corolla insignis? EN. BERNARDINUS ROTA, Musarum ille alumnus eruditissimus, quo nihil habet urbs nostrã cultius, nihil elegantius: eumq; circumstant ANTONIUS, IOAN. BAPTISTA, & ALPHONSVS Filij suauissimi, qui in omnium disciplinarum studijs adeo sunt assidui, ut uix dici possit, quanta cum gloria in Litterariæ Reip. castris militent, quotq; suorum laborum tulerint honores. Pareite, parcite quaslo, uestrorum oculorum micantia lumina, quæ intueri aduersa nequibam, meorum aciem aded perfrinxerant, ut uos non agnoscerem. Vos antea hæc studia summa cum laude tractastis. Testes sunt uestrorum laborum insignia hæc, quæ geritis. Testis est publicarum rerum procuratio, in qua tam accuratè, tam integrè uersamini, ut nemo accuratius, nemo integrius. Testes sunt lucubrationes ingeniorũ uestrorũ monumenta clarissima. Quamobrè præstat uobis omnib; magnas gratias agere, quod hic hodie tam benigne assistis, & quod studia nostra, auctoritate uestra tam humaniter prouehitis. Precamur igitur Deũ Opt. Max. ut uos, uestraq; omnia secunda reddat, atq; in dies prouehat ad meliora.

SCIPIO SVARDVS PAVLI EQVITIS.

H O N E S T I S S. F.

Cum in Academicorum numerum adscisci cuperet, hæc præfatus est.

C E N T V R I O.



Non minus apud Græcos, quam apud Romanos parentibus maximæ curæ liberos suos fuisse legimus: siquidem eos ab ineunte ætate aut in armis, aut liberalibus disciplinis summo studio curabant erudiendos, ne inglorii, ne rerum optimarum imperiti uitam exigerent. Neque tam præstantes uiros sefellit opinio: Male enim cum pueris ageretur, in eâ ætate præfertim, quæ corporis uoluptatibus obnoxia sensu potius, quam ratione ducitur, nisi parentum prudentia accederet, quæ eorum inscitiam constitueret, regeretque, & quæ eorum cupiditatibus obsisteret. Ex optimis igitur parentum, ac Rerump. institutis, atque exemplis manasse putandum est apud Græcos Epaminondas, Lyfandros, Themistocles, apud Romanos Curios, Fabritios, Scipiones, qui nunquam tantam gloriam essent assecuti, nisi eos paternæ, & patriæ industria nihil præter laudem, atque honestatem sibi expectandum esse, docuisset. Quamobrem adolescentes eruditissimi, non possum nõ magnopere parentum uestrorum consilium probare, qui uos in hac tam celebri alunt Academia, in qua IOAN. BA. RINALDVS. tam humaniter, tam integre, tam diligenter uos omnes ad omnia optimarum disciplinarum studia ducit, ut nemo melius, nemo integrius, nemo diligentius. Vnde nihil mihi mirum debet uideri, si in eâ maxima cum laude uos uideam uersari, Nihil enim tam publicis, quam priuatis in rebus fuit unquam maiori emolumento, quam liberalium artium studia. Neque aliæ res tam quosdam nobilitarunt, quam Academia celeberrimæ, quibus Socrates, Plato, Aristoteles præfuerunt, alijque innumerabiles. Hos imitari oportet uiros præclarissimos, qui immortalitatem affectantes, omnia, quæ cæteri admirantur, & magnopere expectant, parua ducentes, litteras tantum, liberalesque artes magnificentes, has summis uigiliis, immensisque laboribus sibi compararunt. Sciebant enim uirtutis, ac doctrinæ hoc proprium manus esse, ut nullo, unquam tempore neque corrupti, neque consumi, neque auferri possint, neque his quidquam præclarior, neque utilior, neque honestior in hominum uita reperiri possit. Si quidem hæc animum honestant, decorant, beant, & ad cælestia reuocant: hæc firma, cæta, stabilia, atque immortalia existunt: nõ uarijs sunt subiecta Fortunæ ludibrijs, non torridam æstatem, non repentinos imbres, non penetrabilia frigora, non humanam uitam, non ipsum Iouem extimescunt; Sed uiuida in ipsos durant perpetua annos, Dum mundi solisque uices, uariabilis annus sentiet, & solitos seruant sidera, cursus, ut elegans ille ait poeta. Id cum primum ipse audiui, nihil me potuit continere, quin subito huc accurrerem; simulque uos humanissimos adolescentes rogarem, ut me uestrorum uirtutum studiosissimum in uestrum contubernium susciperetis. Scio enim & alios in tam celebrem Academiam à uobis humanissime fuisse cooptatos, Neque aliud tam expeto, quam incunctis, & eruditis uestris interesse sermonibus, qui uarijs de rebus cognitione dignissimis hic quotidie haberi solent. Hodieque permulta audiui dicenda esse in Horatiæ cuiusdam odes explanationem à MARCO ANTONIO SVRGENTIO, Equite

equite doctissimo, de cuius laudibus non pauca dicerem, nisi eximias & ingenij, & animi sui dotes eius oratio clarissime indicaret. Tum & à Ioanne Baptista Leporeo adolescente omni eruditione ornatissimo. Non uereor, quin uos humanitatis studio si humaniter accedentem benigne sitis accepturi.

MARCVS ANTONIUS SVRGENTIVS

IOAN. FRANCISCI EQVITIS CLARISS. F.

Horatianam odem hac lectione explicauit.

T O R Q V A T V S.



INTER uaria à præstantibus uiris suscepta itinera, exactosque labores, nihil celebrius esse censetur, quam Iasonis illa ad Colchos nauigatio aurei uelleris causa, quod ut heros ille magnanimus consequeretur (nimis enim nouæ, & admirabilis rei cupiditate ardebat) non maris sæuitiam, non Africum Aquilonibus decertantem, non tristes Hyadas extimuit; sed extructa Argo intrepido, infractoque animo una cum reliquis Heroibus, quos Argonautas appellant, eò tandem peruenit, ubi Medæ consilij Tauros spirantes naribus ignes domuit, uigilem draconem extinxit, complures armatos uiros profligauit: & unde post immensa illa monstra confecta, auream illam pellem, quam animo conceperat, assecutus incolumis, ac uictor in patriam redijt. Narrationem hanc mysterio uacare putabimus? an non arcani aliquid in ea latere censebimus? Equidem existimo eruditissimi uiri, nihil Argo fuisse, nisi domicilium, ac potius Academiam illam, in quam totius Græciæ Heroes conueniebant, ut naturæ, quam Medea significat, arcana & indagarent, & perciperent: atras uerò procellas, marinosque fluctus, quos Iason pertulit, feros tauros, sæuun draconem, armatosque homines nihil aliud innuere, nisi affiduos, perpetuosque labores, quos nisi expugnabunt, qui in optimarum artium studijs uersantur, auream pellem, hoc est sapientiam omni thesauro pretiosiore consequi minime possunt. Hanc homines nati hilares, felicesque redeunt in patriam, unde huc omnes aduenimus. Siquidem sapientia una est, ut inquit Cicero, quæ molestiam pellit ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinit; qua præceptrice in tranquillitate uiui potest; omnium cupiditatum ardore restincto. Hæc una medetur animi morbis: hæc inanes sollicitudines detrahit: hæc cupiditatum liberat, pellitque timores. In hac igitur nostra Argo aureum uellus uos quoque affectantes, & ipse una uobiscum remis uelisque ad illud contendamus, oportet: neque ullus nos labor ab incepto dehortabitur, nihil peius esse statuentes quam otiosam ætatem sine ullo labore traducere. Nec minus fortium Argonautarum more Diuino numini libationes facientes, (neque enim sine eo quidquam conari fas est) uastum hoc disciplinarum æquor percurramus. Verum cum hodie Typhis partes mihi delatæ, ad Cynosuram quo ad potero clauum dirigens nostram nauigationem perficere studebo. Aspirant modò tot præstantium uirorum auræ, quos hic adesse uideo, ut inauratam hanc pellem, quam magnopere expetimus, non solum spectare, sed etiam hilare ualeam atrescere.

Ea mihi ode explicanda proposita est, quæ in primo carminum libro postremum obtinet locum. cuius hoc est initium. Persicos odi puer apparatus. &c.

Et si Horatius Epicurei dogmatis esset assertor, uoluptatem enim præcipue ad-
amabat, quod eius scripta clarissime testantur, & illud præsertim cum ait.

*Me pinguem & nitidum benecurata cure uises
Cum ridere uoles Epicuri de grege porcum.*

Tamen quia uirtutis splendor est maximus, ad eam amplectendam solet amicos
plerunq; hortari. Itaque nunc uitæ integritatem, innocentiamq; commendat, eamq;
ubiq; turam esse confirmat, Pulchrum est enim.

*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Vt in ea ode testatur cuius.
Integer uita, scelerisq; purus est initium.
Non eget Mauri iaculis, nec arcu
Nec uenenatis grauida sagittis, Fusce pharetra.*

Modò liberalitatem extollit, ut ibi.

*Nullus argento color est auaris
Abdite terris inimice Lamma
Crispe Sallusti.*

Modò animi moderationem in utraq; fortuna seruandam præcipit. Vt ibi.

*A Equam memento rebus in arduis
Seruare mentem. &c.*

Nunc Mediocritatem cæteris rebus anteponendam præcipit, ut ibi.

*Rectius uiues Lycini neque alium
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo. Litus iniquum.*

Nunc animi tranquillitatem ante oculos proponit. Cum ait.

*Otiū diuos rogat in patenti
Prensus a Egeo, simul atra nubes
Condidit lunam, neq; certa fulgent. Sidera nautis.*

Interdum uitæ breuitatis nos admonet, ut ibi.

*Eheu fugaces Posthume Posthume
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis & instanti senectæ
Afferet, indomitæq; mori.*

Interdum religionem, ac pietatem in primis colendam proponit. Vt ibi.

*Cælo supinas si tuleris manus,
Nascente luna rustica Phidile.*

Prætereo, quæ uicia in Satyris insectetur, & quas uirtutes in Epistolis laudibus
effera. In hac uerò ode frugalitatem, siue parsimoniam paucis uerbis, sed
perue-

peruenistis ac elegantibus commendat, quam etiam pluribus extollere uidetur. Sa-
tyra 2. lib. 2. cuius est initium.

Quæ uirtus, & quanta, boni, sit uiuere parua.

Est enim frugalitas ea uirtus, quæ in uictus, & apparatus moderatione consistit:
neque solum in priuatis uiris commendationem meret, sed etiam in ijs, qui publi-
carum rerum curam gerunt, & in Regibus. Vnde Fabricius, ac Curius apud Roma-
nos huius uirtutis ergò nõ paruum meruere laudem. Nec nõ Deiotarus Gallogræciæ
Rex à Cicerone plurimum commendatur ob singularem, & admirandam frugalita-
tem, quæ in eo inerat. Sed nemo huius uirtutis melior magister extitit, quàm Home-
rus, qui frugalem uictû regibus eque ac priuatis militibus constituit. Versate doctissi-
mi Academici huius poetæ monumenta. Nihil illis frugalitatis studiosum poetam
apponentem inuenietis, præter assas carnes, eaque bubulas. Eiusmodi epulis apud eum
Agamemnon Nestorem, atque Phœnicem excipit: ex eisdem rebus cæna apparatus
Alcinoo Phæacensium Regi, etsi is in delitiis uitam agebat. Nec non Menelaus cum
filiorum nuptias celebraret, Telemacho hospiti, qui lautius accipiendus erat, bonis
dorsum præbuit. Procis quoque licet petulantibus, & in omne uoluptatum genus pro-
fusis neq; pisces, neq; aues, neq; placenta, aut artolagani apponuntur. Apud eundem
Priamus filios uehementer inculat non cõcussa comedentes. Sed quid humana profe-
quor, cum idẽ Dijs ipsis nihil præter nectar apponat, & ambrosiam? Neque unquã
apud ipsum aliquos unguetis delibatos, neque suffimentis delinitos, neq; coronis in
epulis insignes licet inuenire. Per multa in hanc sententiam illius diuini poetæ scri-
pta legentibus passim occurrunt, qui ut uini quoque immoderatum usum prohiberet,
quæ ex uini haustu Cyclopi, & Vlyssis socijs contigerint, pluribus describit. Idẽq;
Hectorem cordatum iuuenem uinum à matre oblatum respuentem facit. Verum
cum ex uino moderate hausto plurima proficiantur commoda, propterea Helenã
Telemacho Nepenthes, quo omnis cura, ac tristitia pellebatur, propinantem facit.
Nec non Achillem cum cæleo & farina uinum Machaoni præbentem inducit. Iure So-
cratem scribit Xenophon non nisi coactum ad conuiuia accessisse, semperq; parcissi-
mo cibo esse usum, iocoq; dicere solitum, Circem multis eiusmodi positis homi-
nes in sues conuertisse; Vlysses uerò minime mutare potuisse à Mercurio accepti
consilij memorem, ut parsimonia uteretur. A Egyptios refert Cheremon huius uir-
tutis apprime studiosos fuisse; nam cum diuino cultu se tradebant, carnibus, & ui-
no abstinebant, herbis, & arborum fructibus uescebantur. Quin & pane raro so-
lebant uesci, ne stomachum onerarent: oua quoque, & lac respuebant, quod hoc li-
quidas carnes, illa sanguinem esse putabant. Hinc efficiebatur, ut eorum corpora
etsi nullis erant unguentis delibuta, suauem tamen redderent odorem. Nemini igitur
mirum uideri debet, si nostræ religionis primi aetate præclara exhibuere exem-
pla patientiæ, parsimoniæ, castitatis, & frugalitatis in Aegypti heremis uitam agen-
tes. Hanc frugalitatis uirtutem in præcis hominibus norauit Ouidius his uerbis.

*At uetus illa atas, cui fecimus aurea nomen,
Fætibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.*

Propterea legimus ueterẽ Atheniensiu cibũ fuisse ficũ, Arcadũ glandẽ, Indorũ ca-
lamos, Carmanorum palmas, Sauromatarum milium, Persarum cardamum, ac ther-
minthum, ut notat Aelianus, etsi id Eusebius imperitiæ potius illis adscribit, quàm
frugalitati. Prætermitto Lotophagos, Spermophagos, Rizophagos, Ictiophagos,

Actidophagos, Acriophagos, quos à lotis, à seminibus, à radicibus; à piscibus, à locustis, & à feris, quibus uictabant, nomina sumpsisse constat. Non enim in animo est, diuersorum populorum uarios persequi cibos, sed commendare tantum frugalitatem. Ea uero quæ, qualisq; uirtus sit, ex Cicerone facile percipi licet, cum ait. Ego frugalitatem, id est modestiam, & temperantiam uirtutem esse maximam indico; & alibi, sub frugalitatis nomine uidetur temperantiam, moderationem, & innocentiam completi. Seneca frugalitatem uoluntariam paupertatem interpretatur. Huic aduersatur Nequitia, quæ ut omnium uirtutum radix existit, ita frugalitas omnium uirtutum mater habetur. Inducunt id utriusque nomina, altera enim à nihilo appellationem habet. i. à sterilitate, altera à frugi. i. à fructu, propter quandam animorum fecunditatem, ut docet Aug. in lib. de uita beata. Frugi hominem dici apud Plautum, & Terentium inuenimus, hoc est utilem, & necessarium, ut Donatus exponit, quam uocem à frugibus dictam asserit, quæ, quod ijs fruamur, dicta uidentur, unde fructus, & frumenta appellationem acceperunt. Verum Frui à frumine, quæ summa gulæ pars est, deductum constat. Quamobrem ueteres cum seruum laudare uolebant, frugium appellabant; tanquam sobrium, utilem, & necessarium. Unde Plaut. Hoc est serui facinus: frugi, & Hor.

Dauus ne? ita Dauus amicum

Mancipium domino, & frugi quod sit satis.

χρησιμὸς à Græcis dicitur. Sed hæc uox Græca angustiorē habet significationem, quam Latina Frugi, & Frugalitas, quæ non modò ad utilitatem, sed etiam ad Temperantiam, & ad Moderationem, & ad Innocentiam referri possunt, ut supra ex Cicerone adnotauimus. Uersatur hæc uirtus præsertim in uictu, & uestitu, tum etiam in domesticis ornamentis, & in suppellectili, in apparatu, quarum rerum exsuperantia Luxus appellatur, ut defectus, sordes, mediocritas splendor. Sed Frugalitas uidetur aliquid de splendore detrahere, qui propius ad Luxum, quàm ad sordes accedit. Si igitur talis, tantaq; uirtus est Frugalitas, quis non miris laudibus extollet Fabritium, Curium, Seranum, Coruncanum, compluresque alios huius uirtutis uiros studiosissimos? Contra quis non magnopere improbat Fabium cognomento Gurgitem, qui ob luxum patrimonium absumpsit? quis non Lucillum, qui etiam solus cænaturus conuiuia exercebat? Quis non Antonij, & Cleopatæ epulas, in quorum cænis etiam uniones maximi pretij abliguriebantur? Etiã ante hos uellicatur apud Liuium Papyrius Curfor ob uoracitatem. Quid Neronem referam sæpe à meridie, ad mediam noctem epulas protrahentem? Quid Aulum Vitellium, qui epulas quotidie trifariam & quadrifariam partebatur? Quid nequissimum Heliogabalum, cuius incredibiles sumptus in omnium ore uersantur? Prætereo Getam sibi per alphabetum in mensa dapes apponi iubentem, tum Maximinum triginta libras carniū una cæna comedentem. Denique Clodium Albinum, quem referunt. D. ficus passarias, C. persica Campana, X. melopepones hostienses, uuarum pondo XX. ficodulas, C. ostrea quadrigenta esitare solitum, nam hæc ad uoracitatem potius pertinent. At neminem esse arbitror, cui Sardapanali luxus, & Alexandri ebrietas nota non sint. Neq; desunt & populi ob eandem causam infames. Noti sunt Lydi ludorum inuentores, si Herodoto credimus, qui etiam primi dicuntur mulieres fecisse eunucas. Noti & Tyrrheni in conuiujs uitam agentes, quibus palam nudæ seruæ ministrare cogebantur. Fuere & cum his infames Sybaritæ marulorum inuentores, quas in conuiujs habebant, cum in illis semper ferè uersarentur. Nec non & Tarentini in Theatro, & in symposijs totum diem consumentes. In horum numerum adsciscendi sunt & Syritæ cum sagulis floridis, quæ sumptuosius tenijs cingere consueuerunt. Tum Milesi, quibus ob deli-

delicias uaria accidere incommoda, adhuc & Colophonij ita uoluptatibus dediti, ut eorum nonnulli neque orientem neque occidentem solem unquam conspexisse dicantur. Neque desunt Syracusani, quorum luxum Plato grauissime infestatus est. Cum his adnumerantur Iones, Byzantij, Thessali, Aetholi, Campani, Cumæi, Abydeni, Ephesii, Sami, innumerabilesque alij, quos Athenæus in lib. 4. Diphosoph. enumerat. Sed nemini dubium esse arbitror immodicos sumptus, permultaq; uoluptatum genera ex Asia ortum duxisse, moxque longius euagata ceteros in perniciem protulisse. Neque Romanos coquos, aut pistores habuisse legimus, nisi post Asiaticam commercia. At inter ceteros Asiae incolas siere Persarum apparatus maxime nobiles, apud quos nouæ uoluptatis inuentoribus lege præmium propositum fuisse testatur Athen. eosdemque compluribus uoluptatum generibus deditos fuisse scribit Herodotus, qui ait Pausaniam post profugatum Xerxem atque ex Græcia fugientem relicto apparatu iussisse, uti pistores, & coqui cænam sibi more Persico instruerent, quod cum illi fecissent; tum Pausanias cum lectos intueretur aureos, argenteosq; probe instratos, mensas etiam aureas, & argenteas, magnificumq; cænae apparatus attornitus per iocum ministris imperauit, ut Laconicam cænam appararent, quod cum illi magno discrimine fecissent, tum cachinnans accersitis Græcorum ducibus inquit. Hac ego de causa uos accersui, ut Medorum ducis amentiam uobis indicarem, qui cum tam lautam duceret uitam, ad nos subiugandos uenit, qui tam misere uictamur. Hinc ortum esse arbitror, ut ueteres poetæ, de ijs iocosas fabulas conscriberent, quæ multum habebant talis in eorum uitis carpendis, & luxu notando, quas solebant Persæ inscribere, ut ex Athenæo colligi potest, qui modò citat Metagenem in Thuriopæris, modo Pherecratem in Persis, & Naucratem comicum in Perside. Alexandrum quoque legimus militibus suis succensuisse, quod relictis Macedonum institutis Persarum luxui se tradiderant. Etiam in sacris litteris insignis est Persarum Rex Assuerus, quem Dariū Hystaspis quidam fuisse arbitrantur. Is enim per septem dies Medorum, & Persarum primoribus lautissimum parari iussit conuiuium, ut abunde in Hester historia legitur. Iure igitur Horatius frugalitatis studiosus asserit se Persicos respuere apparatus, alioquin enim hac ode puerum suum, qui forte in mensa struenda, & in unguentis odoribusque comparandis, adhuc in pulchris floribus, & operosis coronis texendis, qualibus utebantur Persæ, nimis sedulum se gerebat. Ideo addit displicere sibi coronas philyra intextas: neque aliud philyra est, nisi tenuissima tiliæ membrana, qua coronæ accurate necitebantur. Vbi animaduertendum est coronarum appellatione hic significari ferta illa uarijs ramusculis & floribus intexta, quibus conuiuia in cænis utebantur unguentis delibuti, quod Horatius ipse sæpe confirmat, & præsertim cum ait.

Nunc decet, aut uiridi nitidum, caput impedire myrto

Aut flore, terra quem ferunt soluta.

Et rursus.

Quis udo deproperare apio coronas, curatu e myrto.

Et Alibi.

Nec certare iuuat mero

Nec uincire nouis tempora floribus.

Scribit Athen. eos, qui conuiuia celebrabant, fascijs quibusdam frontes deuincire consueuisse salubritatis causa. Nam cum uinum large sumptum (quod in conuiujs accidit) caput tenet, experimento compertum fuit, plurimum prodesse frontem ita colligare, mox in luxum ea res progressa est; multis enim ornamentis eas decorare consueuerunt, itaque ex ea re uidetur prodijisse coronarum usus, eoque res processit, ut etiam pocula coronis ornarent, unde apud Virgilium legas.

Craterasque magnos statuant, & uina coronant.

Vbi uidetur Homericum illud expressisse. *επισυτο κρητιρας επισηφας διουιο*

Et rursus. *ιδουρι δια κρητιρας επισηφας παντο ποταιο*

Vina ibi poeta *ουρεδοχινας* pro poculis uidetur accepisse. Sed nullibi clarius id indicat, quam ubi Anchisem Dijs sacra facientem inducit his uerbis.

Tum pater Anchises magnum cratera corona

Induit, impleuitq; mero.

Pocula coronare in Bacchi honorem mos erat, qui primus coronam gestauit ex edera. ea uerò postea Græci usi sunt in sacris, in uictoriis, in ludis, & commensationibus. Triplex coronarum genus apud priscos fuisse Theophr. scribit, ex floribus odoriferis, ex non odoriferis, & ex arborum ramis. Plura dicerem de hac re, si per tempus liceret: sed quia RINALDVS noster permulta & cognitione dignissima collegit in Poetica Silua de coronarum inuentoribus, & generibus, propterea ne diutius uestra abutar patientia, & humanitate (nam me tam diligenter attenditis) his prætermisissis ad Horatii sententiam redeo, unde nostra digressa est oratio. Præcipit idē puero suo, ne nimiam sedulitatem adhibeat in perquirendis rosis, ubi forte morentur; sed simplici mirto contentus sit, cuius odor gratissimus est, & quæ sua uiriditate oculos plurimum capit, atque oblectat: eandemq; asserit, cum facile haberi possit, & seruo, & domino angusta sub pergula uiuenti, hoc est tenui, parcoque victu gaudenti quàm maxime accommodatam esse. Quam uerò frugalitatis studiosus fuerit Horatius, etsi interdum lautis epulis adesse solebat, & ad eandem amicos inuitare, pluribus in locis testatur. Non superbis, magnificisque tectis delectabatur, quod indicare uidetur cum ait.

Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar:

Non irabes Hymettie Premunt columnas reliqua recisas Africa.

Non ingentia appetebat rura; quod indicat Saty. VI.

Hoc erit in uotis, modus agri non ita magnus,

Hortus ubi, & tecto uicinus iugis aqua fons:

Et paulum siluæ super his foret.

Non multam locupletemq; uenabatur supellestem, non tabulas, non aurea, non argentea uasa, neque corinthia. Vt faterur ibi.

Donarem pateras, grataq; commodis

Censorine meis era sodalibus. &c.

Non purpureas uestes affectabat, quod his uerbis ostendit.

Nec Laconicas mihi Trahunt honesta purpuras clienta.

Non opiparis epulis, non regifico luxu delectabatur. Vnde ait.

Me pascunt oliuæ: Me cicohrea, leuesq; malua

Non enim ignorabat, quot secum commoda frugalitas afferat, cuius perpetuæ comites sunt ualitudinis integritas, mentisque optima dispositio, quam rem eius illa indicant uerba.

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantaq; secum

Afferat, in primis ualeas bene. & paulo post.

Quin corpus onustum.

Externis uitis animum quoque prægrauat una.

Quamobrem Academici solertissimi discamus hodie ab Horatio ipso, & si interdum fateatur se de Epicuri grege existere, talem, tantamque uirtutem (colligere enim licet aurum ex Ennii sordibus, ut aiebat Maro.) auersemurque nequitiam eius aduer-

aduersariam tamq; perniciosam pestem. Fera est sibi mancipans homines uoluptas, sed non fera: nam si aperte pugnaret, citò caperetur, at ea tanto magis odiosa esse debet, eoq; magis cauēda, quod cælat inimicitia beneuolentiæ habitū induta: propter quod dupliciter auerfanda est, tū quod nocet, tū quod fallit. Magnæ etenim stultitiæ esse cenleo, in subeundis laboribus corporis ualitudinis meminisse, in uoluptate uerò obliuisci. Stultum quoq; est à Dijs assiduis precibus sanitatem expetere, aliqua uerò, contra quàm ualitudini conducatur, facere. Multa luxum consequuntur mala, primum quod qui in eo uitam agit, Deo gratus esse non potest. Nostis Epulonis historiam apud sacras litteras, & quàm is seuerissime post mortem in flammis torqueatur. Indicauit idem Homerus in Vlyssis focijs Solis boues aduersus diuina mandata esitantes, & in Penelopes procis, quorum exitus miserandi exitere. Adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, inquit diuinus uates. Deinde quod mētem deprimit, unde de Esau legimus: Accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit paruipendens, quod primogenita perdidisset. Adde quod affectiones animi inficit. Vnde Apost. Quorum Deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Corpus necat. Vnde illud Sapientis. Propter crapulā multi obierunt: qui autem abstinentes est, adiiciet uitam. Denique omnia externa bona perdit. Qui enim diligit epulas, in egestate erit: qui amat uinum, & pingua, non ditabitur. Valeat igitur Philoxenus, qui ut maiori uoluptate in cibo, & potu frui posset, gruis collum, tauri, ac elephantis corporeas moles optabat, in eoq; naturam uehementer accusabat. Valeat Apicius cum suis squillis, & phænicopterum linguis, quas magno opere affectabat. Valeat AEsopi filius cum sua patina, & cum unionibus aceto madefactis. Valeat Aristoxenus cum lactucis uesperis multo irrigatis. Valeat Hermogenes cum mimis, & balatronibus. Valeat Lucullus cum suo Apolline. Recedat Antonius cum apris, & Cleopatra. Percant, ac dispareant Lurcones omnes cum suis ientaculis, prædijs, canis, & commensationibus. Faceffant denique Sybaritarum & Tarentinorum deliciae, Græcorum, & Persarum magnifici apparatus. Nos uerò, qui Philosophiā profitemur Nos, qui in Musarum hortis digimus, nos, qui Christianam profitemur pietatem, eius modi malis omisissis Pauli, Antonij, Hilarionis, atq; adeo Apostolorum & Saluatorum nostri, qui frugalitatem, ac sobrietatem in hac uita professi sunt, exempla sequamur, ut illis epulis expleri liceat, quas Philosophia, Musæq; hic suis affectis suppeditant, & quas CHRISTVS ipse caste, sobrie, pieq; degentibus, abunde elargitur.

IOANNES BAPTISTA LEPOREVS LVCAE

CIVIS MODESTISS. F.

Dubitationes duas super Horatiana ode adduxit, & diluit.

TESSERARIVS.



U RE optimo Mantuantis uates in fortunatis nemoribus, quos Elysios appellant campos præter ceteros laude dignos uiros, eos quoq; finxit beata immortalique uita frui.

Inuentas qui uitam excoluere per artes:

Quiq; sui memores alios fecere merendo.

Si quidem quicumq; rudia hominum ingenia, agrestesq; mores ingentis artibus, optimisq; disciplinis erudire, in mitiorēq; cultum traducere conati sunt, eos cælo dignos semper censuit antiquitas. Nam si statuarij quod uiuos ducunt de marmore uultus,

nultus, aut quòd excidunt spirantia mollius aera, aut quòd e nodosis arborum truncis tam uenustas educunt imagines, magnopere ab omnibus commendantur, quid de artificibus illis censendum est, qui animos ipsos liberalium disciplinarum expertes litteris: & humanitate optime effingunt: fictosq; saluberrimis imbuunt præceptis? Recte poeta ille felices eas animas appellauit, quæ natura monstrante uiam eiusmodi cultum, tamq; diuina ornamenta excogitarunt, quibus imperiti adolescentes imbuti optime uitam traducere ualeant. Hinc de Orpheo, deq; Amphione natus esse fabulas arbitrabitur. quorum alter lenire tigres, alter saxa mouisse sono testudinis uulgo existimati sunt. Ea igitur de causa, ut in optimis artibus erudirer, à patre ductus antea fui ad FRANCISCVM PEDIMONTIVM non minus singulari doctrina, & dicendi lepore, quàm morum suauitate, & uitæ integritate præstantem. Eius immaturam mortem sine lachrymis recordari non possum. Erat in illo uiro grauitas comitate condita, magna notitia antiquitatis, singularis in omnes humanitas, summa in erudienda iuuentute diligentia, perspicax in explicandis auctorum abditis locis ingenium, sincerum in perpendendis aliorum scriptis iudicium, in scribendo non mediocri solertia & copia. Itaq; cum eius morte non paruam in re litteraria iacturam factam esse censeo. Vbi is fato concessit, conuerti me ad Ioan. Bap. Rinaldum ei in amicitia coniunctissimum: leuaturq; mihi dolor aliquantum, quem ex illius obitu capio, quòd & amicissimum audio, & illius alumnis apprime fauentem. Huius uiri Academiam eo animo adij, ut ex eius latere, & doctior, & melior discerem: solent enim mores eorum, quibuscum uersamur, facile nobis adhærescere. Cum is igitur hodie iusserit, ut aliqua super Horatiana ode afferrem, eius mandatis parendum esse dixi. Sed quia imperitissimus tiro tam doctissimo, ac nobilissimo coetu dignum afferre poterit, & præsertim IOAN. ANT. CARACCIOLÒ Buccianici Regulo non minus eruditione, quàm nobilitate insigni? Explicauit præterea per multa M. ANT. SVRGEN. Eques eruditissimus, cuius orationem subsequi, pro mea imperitia magnopere uereor: fuit enim non minus in dicendo copiosus, quam in explicando peracutus. Prætermisit aliqua de Rosâ, & Myrto, ut super his rebus aliquid ipse garrirem. Effandam igitur aliqua super his. Vide enim omnes ad myrrum, hoc est, ad immortalitatem aspirare; Regulumq; nostrum nihil aliud, nisi rosas loqui solere. Verùm antequam hæc aggrediar, dubitationem quandam de Persarum moribus explicabo.

Dubitandi primum ansam illud præbet, cur Horatius Persicos respuat apparatus, cum de eorum parcissimo uictu aliqua scripta apud auctores inueniantur. Refert enī Herodotus Persas cibis per paucis uti consueuisse, bellarijs uerò permultis, & Inde illud dictum mansisse, Græcos etiam cibo sumpto esurire, quoniam secundis mensis paucissime utebatur. Scribit Alexander, Persas uesci semel tantum consueuisse in meridie; Persarumq; reges ante cibum de modestia disputare solitos, ut ante sacrificia de Iustitia, ante bellum de Fortitudine. Quare qui de modestia ante cibum disputabant, eos in uictu, & apparatu sobrios extitisse putandum est. Idem confirmari uidentur ex Sandanis Lydi consilio. Nam cum is chroæsum aduersus Persas expeditionem parantem conspiceret, ita eum allocutum fuisse scribit Herodotus. Aduersus eos uiros bellū paras ò Rex, qui coriacea subligacula, qui e corio reliquam uestem ferunt qui non pro animi sententia tibi uescuntur, sed quos habent, & qui asperam incolunt regionem: adhæc in potu aqua, non uino utuntur, non ficos, neque aliud quidquam boni, quo uesci possint, habent. Omnium tamen clarissime id Cic. indicat ex Xenophonte, cum ait. Persarum à Xenophonte uictus exponitur, quos negat ad panem adhibere quidquam præter nasturtium. Et alibi ait. Sic uoluptas non minor in nasturtio, quo uesci Persas esse solitos scribit Xenophon. Confirmat idem Strabo, qui de ho-

rum

rum populorum uictu loquens asserit, quotidianum eorum cibum post exercitationem fuisse panem uilissimum, & cardamum (ita enim Græci Nasturtiū appellant) & salis granum, carnesq; assas, siue elixas, potum uerò aquam. Adhuc D. Hieronymus frugalitatem laudans Xenophontis sententiæ meminit his uerbis. Persarū Regis Cyri uitam Xenophon VIII. uolumine explicat, polenta, & cardamo, & sale, ac pane cibario eos asserens uictitare. Testimonium moderati Persarū uictus hoc quoque est, quòd apud eos turpe erat expuere, & emungi; & flatus uideri plenos ex quo apparet, eos parcissimo uictu esse usos, & humores p labores cōsumere solitos. Præclara quedam instituta Persarum, quæ ab Herodoto, & à Xenophonte recensentur, eorum populorum frugalitatem, ac parsimoniam clarissime indicant. Ex illis aliqua hic recensere non iniucundum arbitror, & ea præsertim quæ, ad puerorū educationem pertinent, quo magis mea confirmetur dubitatio. Pueros scribit Herod. à quinto anno incipientes usque ad XX, Persæ docent equitare, arcu sagittas emittere, uera loqui. Nam turpissimum apud eos ducitur mentiri; secundo loco æs alienum sibi conslare: & quæcunque nefas est, facere, ea neque dicere fas esse censent. Pueros ait Xenophon, in Iudis Iustitiæ discendæ operam dare consueuisse, eisque rei ita studere, ut qui apud nos eunt ad discendas litteras, eorumq; magistros magnâ diei partem in eorum disceptationibus diiudicandis cōsumere: puerosq; habere inter se causas, quemadmodū uiros, de furto, de rapina, de ui, de fraude, de maledicentia, deq; alijs criminibus, eosque plectere, qui deliquerint. Sed nihil leuere ius apud eos iudicabatur, quàm ingrati animi uitium: arbitrabantur enim ingratos homines maiorem in modum Deos negligere, parentes, patriam, & amicos: huiusq; culpæ comitem esse Impudentiâ omnis turpitudinis ducem. Refert quoque Xenophon, in Iudis eos solitos esse discere Temperantiâ, præcepta parendi magistratibus, tū cibi, & potus continentiam seruare; neque apud matres, sed apud magistrum uesci, domoq; ferre pro cibo panem, pro obsonio Nasturtiū: ad potum uerò capedinem, ut ex flumine aquam haurirent. ad hæc discere sagittam, & iaculum, in adolescentia uenari cū rege, qui eos cōsue faciebat diluculo assurgere, frigora, caloresque tolerare, iter facere, currere, feras uel ferire, uel iaculo petere, ubi cunq; occurrissent, hocq; obsonium habere, siquid uenati fuerint; nam si id non aderat, nasturtio uescerentur. Qui uerò uenatum non proficiscerentur, alia exercere, quæ pueri didicerat, & sagittado, & iaculando tempus transigere, & plerumque unius diei cibaria in duos partiri, ut famem tolerare discerent, si forte usus uenisset, ut in militia talia pati necessitas cogeret. His ex rebus dubitandi occurrat occasio, cur Horatius frugalitatem commendans Persicos se auerari apparatus asserat, cum talia instituta, quæ modò recentissimus, eorum uitam quandam indicent parsimoniam, ac sobrietatem? An forte non eos apparatus asseratur Horatius, quibus utebantur ciues, & priuata personæ, sed regios. Reges enim maximos solent exhibere apparatus, neque eos solum, qui in aureis uasis, argenteis, uel gemmeis consistunt; sed etiam in lautissimis epulis. Verùm in tanta ciuium parcitate uix credi potest, Reges ipsos potuisse adeò in epularum usu modum excedere, ut accusandi essent; propterea existimo, quæcunque Herodotus, & Xenophon de Persarum tenui uictu scripsere, ad præscos eorum mores potius esse referenda, quos constat optime fuisse institutos. Quæ uerò Athenæus, & Horatius, ad recentiores pertinere arbitror. Nam ubi Persæ Medos, Lydosq; sibi adiungere, relictis suis moribus illorum delicijs, ac molliori uictu in omne uoluptatum genus profusissimi fuere, & Reges præsertim, quibus magis ob diuitias, & rerum affluentiam id facere licet. Quod & ipse Herodotus paucis uidetur inuere, cum ait. Etenim Persis, antequam Lydos subigerent, nihil erat neque lautum, neque opiparum. Idem quoque & Romanis contingisse paulò ante retulit noster Cōmilito post deuictam Asi-

Nam

Nam priscos uirōs parcissimo uictu ufos esse constat, ut etiam glandibus uescerentur, non solum herbis, & arborum fructibus, quos terra ipsa abunde fuggerebat. Vnde Quidius Pythagoram facit mortales ab esu carniū, dehortantem his uerbis.

*Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges sunt deducunt ramos
Pondere poma suo; tumidæq; in uitibus uua:
Sumi herbae dulces; sunt quæ mitescere flamma
Molliriq; queant. nec uobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore. &c.*

Indicauit esum glandium fuisse apud priscos Virg. cum ait.

*Uestro si munere Tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista.*

Hieronymus in epistola quadam ad Iouianum testatur olerum, pomorum, ac legumintum faciliorem apparatus esse, & arte, impendiq; coquorum non indigere: & sine cura humanum genus sustentare. Dicaearchus quoq; in libris Antiquitatum refert, sub Saturno in aureo illo seculo, cum humus sponte sua omnia ferret, neminem carnes comedisse, sed omnes frugibus uixisse, & pomis. Plinius quoq; cibo olerum solum non onerari autumat: propterea Horatius cum tenuem uictum significare uult, olerum sepe meminit. Sed quid pluribus hæc prosequor? tantus enim honor oleribus apud priscos Romanos habitus est, ut ex ijs proceres cognomina assumpserint. Hinc enim Hortensios, & Laetucinos familias nobilissimas nomina accepisse omnes scimus, ut à leguminibus Fabios, Cicerones, Lentulos, Pisones. Nouerant enim prisci cibi paritatem sensuum acumen efficere, ut ait, D. Chrysothomus, & aegritudinē fugare, & corporis incolumitatem simul procreare, & animi lætitiā. Hæc pluribus quam constitueram, exegi, Academici doctissimi, quod magis uos in Musarum hortis uitam ægentes ad frugaliorem uictum excitarem, et si id uideo commilitonem nostrum eloquentissime prosecutum esse. Nihil enim ingenio, Musisq; magis aduerfatur, quam uictum uictum saporum pestifera acernatio, & condimentorum multiplex apparatus. Non enim alia de causa post Promethei furtum, febrium, ac cæteri orū morborū miram cohortem terras occupasse finxere poetæ, nisi quod is coquinariæ artis repertor fuit, unde omnium malorum genera ortum habent. Sed hæc hactenus. Iam me altera uocat ambiguitas. Quid causa sit, cur Horatius rosas à mensa abigat, myrtum tantum retineat, cum amatores, qui pulcherrima semper sestantur, & qui naturæ rebus suauissimis assidue orari uolunt, cum etiam conuina, qui oculos, animamq; suauibus recreant floribus, rosas, ut florum omnium pulcherrimas, suauissimasq; undiq; conquirant. Neque minus rosa Veneri sacra est, quam myrtus, ut quæ Veneris sanguine sit aspersa. Præterea ipsemet Horatius quoties amicos ad uoluptates, & ad conuinia hortatur, assidue rosarum meminit, easq; in primis afferri iubet. Ut ibi.

*Neu desint epulis rosæ, Neu uiuax apium, neu breue lilium
Huc uina, & unguenta, & nimium breuis. flores amena ferre iube rosæ.
Parentes ego dexteris Odi, sparge rosas.
Tyrrhena Regum progenies tibi
Non ante uerso lene merum cado
Cum flore Mæcenas rosarum
Et pressa tuis balanus capillis Iam dudum apud me est.*

Ita

Ita & Anacreon, qui delicatam uitam adamabat, inquit.

*Εμὲ μέλει μύρσι κατὰ ἔριχεν ὑπὸν
Εμὲ μέλει ρόδῳ κατὰ σέφεν καρπῶ.*

Hoc est. Sed curo delibutam Vnguento habere barbam, Sed implicare curo Meos rosas capillos. & in alia ode in primis rosam celebrat, Cuius est initium,

τὸ ρόδον τὸ τῶν ἐρώτων μύκαμεν διονύσσα.

Rosam amorum miscemus Libero. Huic dubitationi facile occurri posse ita uidetur. Horatium non rosas respicere, sed puero præcipere, ne in feris iosis perquirendis nimium temporis consumat, & ne dum inania quædam affectat, seria prætermittat. Verum aliud quippiam potest inuere uoluisse arbitror, quod antequam ueniam, dicam aliqua & de rosa, & de myrto. Rosam à Græca uoce dictam arbitrantur, nam Græci ρόδον eam appellant, ὅτι ρῆμα πολὺ τῆς ὀσμῆς hoc est, quod mira odoris copia diffusat; ea non solum odore grata existit, sed etiam colore purpureo, quem ex Veneris sanguine contraxisse poetæ fabulati sunt. Nam dum Venus Adonim suum uenantem sequeretur, forte pedem rosæ spinis allisit, unde rosam, quæ prius ubique alba erat, sui sanguinis aspergine tinxisse fertur. Sunt qui fabulantur dum Mars ritualis Adonim feriret, Venerem opem allaturam accurrisse, ita in rosas incidisse, ac spinis implicitam lacerasse pedem, quod uenustissimus poeta indicat his

*Ille quidem studiosa suum defendere Adonim
Gradibus stricto quem petit ense ferrox.
Affixit duris uestigia cæca rosetis:
Albaq; diuino picta Cruore rosa est.
Sic fata Cruoris Carpit signa sui.*

Id ea de causa fictum esse putant. Nam philosophi odorem, coloremque illum à Veneris ipsius stella proficisci arbitrantur; propterea Virg. Venerem roseo ore loquētem fait. Hic flos non solum colore, atq; odore cæteris præstat floribus, sed etiam uirtute plurimum pollet. Testantur id remedia, quæ ex eo proficiuntur. Multa prætere uita nobis præcepta exhibet; Nam sine spinis considerata tur. uenustatis, tum amoris in primis autem eius gratiæ symbolum est, qua quis præditus omnium in se amorem contrahit, omniumq; sibi animos conciliat. Ea de causa apud Indos Magi rosam tanti fecisse dicuntur, ut ad conciliandos magnorum principum animos, non alia re, quam rosaceo uterentur. Verum si rosa una cum spinis consideratur, humanas uoluptates amaritudinis plenas esse indicat; nam ut D. Ambrosius in Hexamero, philosophatur. Rosam spina sepsit, tanquam uita speculum ostentaret: quod enim suauitatis in ea est, finitimis curarum stimulis uidetur amarescere: unde hilaritati semper tristitia dharet; Quod uerò & rubet, & pungit, amatoris affectus signum esse rosam asserit. Placiades, ut qui sine uerecundiæ rubore, & facinorosi criminis amaritudine esse non potest. Illud quoque animaduersione dignum est. Nam rosa de pulsa spinarum asperitate, quæ floris tam elegantis suauitatem opprimebat, Calycibus se ipsa sua uirtute ac conatu explicans, clarissime indicat, nullam esse tantam difficultatem, quam probitas suis uiribus uincere, & dissipare non possit. Denique tã uenustus, ac suauis olens flos, & tã pulcher humanæ imbecilitatis est index, ac momenta rei boni tã. breuis uita illi est, tã caducus decor, ut quo die florēs, uigensq; nituerit

V eodem

eodem ipse deflorëat, & elanguescat. Vnde apposite inquit poeta.

*Quam longa una dies, etas tam longa rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.*

Id causse fuisse arbitror, ut prisca mortalitatis memores flores, & præcipue rosas in sepulchrorum ornatum adhiberint. Vnde Aeneas in patris tumulo purpureos iacit flores, & Anchises in Marcelli sepultura apud eundem Virg. petit dari sibi lilia, floresq; purpureos, idest rosas. Nec minus Augustus Alexandrum honoraturus in eius tumulo flores fudit. Vnde quosdam testamento cauisse affirmat Pierius, ex quo hæc sumpsimus, ut his, uel illis floribus quotannis sibi parentaretur. Hæc de Rosa, uenio ad myrtum. Eam à mari dictam uolunt, quod planta hæc maritimis in locis abunde proueniat, unde Virg. appellat littora myrtetis gratissima, & rursus amantes littora myrtos. Sed Græcam uocem esse potius existimandum *μύρτος* enim Græci eam dicunt, & ab odore quem *μύρον* dicunt, nomen sumpsisse. Est enim planta hæc odore admodum suauis, quæ res etiã fecit, ut Veneri sacra esset. Huc accedit, quod omnium delicatissima existit, perpetuoq; uire nitet. Vnde Virg. myrtum Veneri gratissimam dicit. Hanc ob causam qui Venerem pingebant, myrtea corolla eam ornabant. Præterea ex omnium poetarum lectione satis constat Genium, ac uoluptatem ex myrto significari. Adhuc myrtea corona militum capitibus gestata significabat rem bellicam sine sanguine confectam. In conuiujs eum morem fuisse legimus, ut myrteo ramo circumlato conuiuæ ad canendum excitarentur, unusquisque enim eo in manu accepto partes canebat suas: propter quod hilaritatis inditium erat. Deniq; cum sit myrti genus perforatis præditum folijs, amoris uulnera, quibus amantes conficiuntur, significare potest. Est quoq; folium instar sagittæ acuminatum quod cupidinis telorum formã indicat. Adhuc uiret semper myrtus, ut uiget amor habet folia bina utrinque, ut geminus est amor, & mutuus. Sunt ei fructus nigri, quales in amore legi solent, sed cum IOAN. BAP. RINAL. in Poetica Silua de Rosa & myrto per multa afferat, ad iucundam harum rerum lectionem uos omnes delecto. Ipse ad Horatij mentem explicandam redeo. Cum igitur Rosa sit humanæ imbecillitatis indicium, uitæq; breuitatis, myrtus uerò hilaritatis, ac uitæ diuturnitatis ob perpetuam uirentem, nemini debet mirum uideri, si Epicureæ uitæ affecta ea respuit, quæ mortalitatem in memoriam reuocare solent, omnemq; hilaritatem fugare; quæ à mortis meditatione abhorret: myrtum uerò magnopere expetat, ut rem semper uirentem, & propterea hilariori uitæ quàm aptissimam. Vt enim molestæ rei aspectus solet tristitiam parere: sic contra iucundæ rei species hilaritatem in animum inducit; omnemque memoriam malorum extrudit. Sed Academici diuina imbuti pietate permittantur hæc Etnico uiro in imperitia ueritatis degenti, futuræque uitam ignorantem. Nos uerò Christianos, atq; ad eam ueræ religionis affectas decet semper mortalitatis memoriam ante oculos habere, sed meliorem uitam sperare, neq; huic, qua modò uiuimus, confidere. Quid est enim hominis uita? An non uapor breui apprensus, qui statim subsidet? An non flos, qui succisus aratro languescit moriens aut qui uix egreditur, & conteritur? An non foenum, quod celerrime arefcit? An non bulla, quæ nunc tumet, & oculi ictu euanescit? An non puluis, quem disijcit uentus? An non umbra, qua nihil est neque inanius, neq; instabilis? An non somnium, quod subito uolucres recedit in auras? Recte inquit sapiens. Tempus nascendi, & tempus moriendi unum, idemq; existere. Id enim, quod in præsentem est, momentaneum est inquit Apost. Quare nemo gloriari potest, in crastinum ignorans quid superuentura pariat dies: nec quid serus uesper afferet. Huius mortalitatis memorem se præstabat malorum

malorum omnium tolerantissimus ille Iob, qui se luto, & fauilla comparabat: nec non Pater ille multarum gentium Abraham, qui se puluerem, & cinerem appellabat. Nec minus Hester & Iudit, cum populo magnum ab hostibus immineret periculum, se cinere aspergentes. Diuiniq; uates gloriatur se cinerem tanquam panem affidue comedere. Neq; aliã ob causam pia mater Ecclesia iubet hominẽ memoriã tenere, se cinerẽ esse, & in cinerẽ reuersurũ. Laudatur Philippus ille Macedonũ Rex, quod aulico suo iusserit, ut cubiculũ ingrediẽs, ei quotidie denuntiaret, hominẽ esse. Laudatur Anaxagoras, qui nuntiata filij morte dixisse fertur. Sciebã me genuisse mortalẽ. Laudatur Plato, qui asserbat Philosophiã esse mortis meditationẽ. Quamobrem si mortalium conditionis memores se Ethnici præstabant interdũ, nos Christiana pietate imbuti eiusdem rei memoriã aspernabimur? Sed nolo huius diei hilaritatem tristis rei recordatione permiscere. Quin potius conquiramus nos præter Horatij præceptũ, undiq; rosas suauissimas, hoc est uirtutũ omnium suauitates, ac uenustates, sintq; semper sermones nostri rosarum suauolentia fragrantiores: ita ad myrtum illam uiridantem; hoc est ad immortalitatem aspirandã est, qua precor tui liceat in celo una cum beatis meritis, atq; adeo una cum CHRISTO humanæ salutis auctore, cum almo Spiritu, coram æterno Patre, cui semper honor, & laus, & gloria.

ACHILLES BONONIA CAESARIS E.
HIS VERBIS GRATIAS EGIT.
METATOR. PR.



Theniensium instituto cautum fuisse legimus, ut ingratus libertus iterum in domini potestatem rediret, libertatisq; iure exueretur. Nec minus Persarũ lege duplici pœna ingratus uir plebatur, quod is nõ solum sibi, sed etiã cæteris magno solet esse detrimento. Neq; id immeritũ: nihil est enim tam inhumanum, tam immane, tamq; ferum, quàm committere, ut beneficio non dicam indignus, sed uicinus esse uidearis. Ea; res hanc culpam auget in homine, quod sepe immanes belluæ beneficio aliquo deuinciuntur. Quid enim est leonæ superbius? eum tamen legimus quam maxime gratum se in eos præstitisse, à quibus beneficium acceperit. Quid Panthera magis ferum? ea tamen fertur Philinis cuiusdã Philosophi patrem læta gestiensq; extra solitudinem duxisse, quod ille eius catulos e fouea extraxerat. Quid aquila elatius? Hæc tamen uirginem quandam, à qua fuerat educata uinã uenatu aluit, mortuam in rogam est comitata. Quid delphine turpius? at is in pisciũ captura sepe adiutor extitit ei, à quo captus libertate postea fuerat donatus. Quomobrem si ingrato homine nihil foedius, nihil immanius reperiri potest; cõtrã uerò grato animo nihil elegantius, nihil humanius esse potest; ipse commilitonesq; nostri, ne eiusmodi culpæ censuram subiremus, tot tantisq; uiris clarissimis, & IOAN. ANT. CAR. Buclanici Regulo Illustrissimo, ac eruditissi. in cuius uultu omnes Charites, omnes uenustates, omnesq; suauitates residet, ob singulare uestrũ in nos studiũ omnes, quas possumus, gratias agimus, utinã maiore mësura eas referre liceret, ut iubet Hesioidus. Habemus tamẽ quã maximas animi nostri capere possunt. Deũq; Opt. Max. rogare nunquã desistemus, ut det uobis, quod Orpheus his uerbis precari solet. *Ὅρμαινε δὲ μὲν*

ἰσθμῶν τε θαλάσσης, καὶ πλάτρε δὲ θαλάσσης ἀμειψόμενος

Ab omnibus uerò illud etiam atq; etiam petimus, ut nostra hæc studia pro humanitate uestra benigne foueatis, & conatus nostros in posterum auctoritate uestra ad meliora prouehere non negligatis.

ACADEMICA
MARCELLVS LANFRANCVS.

CAMILLI FILIVS.

Cum Grauinæ epigramma explicandum esset, his verbis præfatus est.

V E L E S.

QVOD tenellus puerulus non semel in nobilissimo hoc consessu ad Amphionis testudinem pedibus terram pulsauerit, paribusq; colludens eruditorum hominum oculos in se conuerterit, atq; ex ea re aliquâ laudem reportarit; nunc uerò linguam exercere, uerbaq; expromere incipiat, nemini mirum esse debet. Scitis enim illud puerorum esse proprium, ut neque pedibus, neque lingua sciât quiescere. Equidem cum cæteros meæ ætatis, & conditionis puellios in numerum hic se mouere conspexissem; choreasq; ducere, uix me continere potui, quin hæc accurissem cum æqualibus collurus. Nostis illud. Pares cum paribus facile congregantur; & illud. Aequalis æqualem delectat. Deinde cum alios ætate prouectiores seria tractare, linguæq; exercitatione non mediocrem sibi laudem comparasse uiderim, non parum me eorum laus, & gloria excitauit, ut ipse quoque aliquid gaderem. Quamobrem tentare libet, si forte humo me tollere ualeam. Sed unde erit initium orationis meæ? Dicam fortasse.

Desectus solis uarios lunæq; labores?

Vnde tremor terris, qua ui maria alta tumescant

Obijcibus ruptis, rursusq; in se ipsa residant.

Quid tantum Oceano properent se tingere soles

Hiberni, uel quæ tardis mora noctibus obster.

Digna hæc essent tæto consessu, cum hic hodie adsint tot Philosophi argutissimi & præsertim IO. BER. LONGVS Philosophiæ, & Theologiæ Antistes eruditissimus. Sed quomodo tam abdita referabit peritus tiro, qui uix Grammatices, ac Rhetorices rudimenta attingit? Dicâ ne. Iura, magistratusq; legunt, sanctamq; Senatû? Verum quis hæc andeat coram tot tantisq; uiris Iurisprudentiæ magistris præstantissimis & IO. AN. FRANCIS, CVRTIO Senatore integerrimo omni liberali doctrina poluiss. Ad sunt per multa ad humanitatem, & ad cæteras liberales artes & ad Mathematicas disciplinas: tû ad dicendi facultatem pertinêtia. Sed scio si quid eiusmodi conarer, tâquam importunus anser inter suauissimos Cygnos obstreperem. Quamobrem si.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis:

Indoctusq; pile, disciue, trochi ue quiescit.

Ne spiserisum tollant impune corona.

Audebit quispiam tantarum rerum imperitus in tam nobilissimo cœtu aliqua temere effundere, quæ de disciplinis à doctissimis uiris tradita sunt? Præstabit igitur silere *σοφὸς γὰρ ἀκινδυνὸν γέρας* Idq; muneri hodie delegare commilitonibus meis, & PAVLLO, & MARCELLO CVRTIIS militibus ueteranis plura & de Pietatis præstantia, & de Epigrammatis compositione disturis. Nostis adolentes hos non minus argutos, quàm doctos, sperate eos digna uestris auribus allaturos. Meæ uerò orationis atq; conatus hoc sit hodiernum initium: eum, quicumq; sit, uos boni consulite, alias cum dabitur narrationem aggrediar. Malo enim una cum Africano huius certaminis spectator esse, quàm ut imperitus Phormio inter tot præstantissimos Annibales turpiter irrideri. Vos interea ualete, nostrisque fauete inceptis, ut omnes intelligant tot, tantosque uiros & pie, & hilare hic hodie assuisse.

PAV-

ALTERA.

CXI

PAVLVS CVRTIVS IOAN. AND. C. E.

S. R. S. PRÆSIDIS INTEGR F.

PETRI Grauinæ epigramma hæc Lectione explicauit.

SI qua uirtus Dei Opt. Max. dono, ac munere hominum generi tradita est, Pietate nullam sanctiorem, præstantioremq; existere ad exploratum est, ut nulla probatione, nulloq; testimonio indigeat. Siquid hæc uirtus omnium fundamentum existimatur, qua sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima uirtus Iustitia tollatur necesse est. Quid enim aliud Pietas est, nisi in Deum, in parentes, in patriam, & in cæteros cultus quidam, ac diligens officium? Hæc nõ uiuentes solum, sed etiam mortuos prolequitur. Vnde non modò apud sacros auctores optime audiunt, qui ea præditi sunt, sed etiam apud Ethnicos quam maxime commendantur. Neque dubitandum est, quin pijs omnibus in cælo sit certus, ac definitus locus, ubi beati inter diuinas illas mætes immortalem uitam degant. Apud Græcos, & Romanos fortibus uiris ob singularem in patriam pietatem maximi honores habiti fuere. Cleobim & Bitonem, quòd curru se summiserunt, ut matrem ad Iunonis sacra peragenda ducerent: Amphionem, & Anapim, quòd parentes per medios Aetnæ ignes suis humeris eripuerunt, miris laudibus efferunt historice non aliam ob causam, nisi ob insignem pietatem. Quid Cimonem referam, qui patri suo sepulturâ uoluntarijs uinculis emere nõ dubitauit? Quid filiam illam, quæ patrem senem custodiæ traditum, capitiq; damnatum ueluti infantem pectori suo admotum aluit? an non utriq; immortale nomen sola pietas comparauit? Sed quid hominum exempla percurro, si belluæ quoq; nulla prædite ratione ob eandem uirtutem, cuius uestigia in ipsis uisa sunt, non exiguam meruere laudem? Hinc Ciconia, quæ parentum senem autem nunquam deserit, & quæ cibi gratia eos nunquam errare permittit, pientissimum, illud *ἀρετὴν ἀπαρτῶν* in adagijs usurpatum inuexit, antiquissimamq; legem Pelargicam, de parentibus scilicet renutricandis sanciuit. *πιδάρτων* enim Græci hanc auem appellant. Eodem in numero reponendum cenfeo Delphinum illum, de quo in hoc agitur epigrammate, quod mihi hodie explicandum propositum fuit. is enim cum cadaver quoddam in medijs undis fluitans conspexisset, pietate commotus ad terram illud non sine suo interitu inuexit, tanta enim celeritate se in littus concitauit, ut ipse in sicco mortem cum uita cõmutare fuerit coactus. Res quidem admirabilis est, sed digna piorum hominum auribus. Epigramma elegans est, & peruentum, quod inter Petri Grauinæ poëtæ doctissimi scripta extat, cuius explicationem antequam aggrediar, ipsum recitare non molestum erit. Audite, quæso.

Humanum medijs fluitare cadauer in undis

Ut uidit Delphin, in uada sicca tulit.

Viq; sua eiectus, longeq; in littora pulsus

Pro meritis inquit, mors mihi munus erit.

Heu pietas, sortem quid permutauimus? unda

Te mea submersit; me tua terra rapit.

Per multa ad hominum usum ex belluis profecta esse, assidueque proficisci iam constat, neque ea solum, quæ ad corporis studia pertinent, sed etiam ad animi

V 3 mores

mores componendos. Atque si commoda quædam, sine quibus nulla esset uita hominum, recensere libet, non ne hirundo domorum constructionem docuisse dicitur? unde est frugum collectio, nisi ex formica? Vnde texendi ars, & retiorum usus, & aucupandi solertia, nisi ex araneo? Vnde silandi studium, nisi ex bombyce? Nec minus cuniculo accepti referuntur subterranei meatus, Histrici sagittandi peritia, Locustæ armorum compositio, Conturnici uelorum inuentio; Miluio temonis directio. Sunt quoque belluis remedia, quæ hominum ingenia non inueniunt, sed ex his sunt imitata. Ibis enim rostro sibi aluum purgans Clysteris usum inuexit, Hippopotamus incisa arundine sanguinem sibi eliciens uenæ sectionem: sic Cerua dictam uirtutem indicauit, cum uulnere suo ea herba medeatur. Testudo origano se maniens aduersus uenena serpentium; Mustela ruta idem faciens monstrarunt herbarum illarum uires uenena pellere. Fœniculi nobilitauit serpens eius succo acie reficiedo. Vrsus alou laxare herba, quæ Aron appellant. Nec minus oues asple no splenis uitia curant. Columba, & turture parietaria uirtutem monstrare. Nolo singula huius generis remedia recensere, ea enim ex Plinij scriptis sibi quisque poterit deponere: neque prognostica tempestatum, & serenitatis, quæ ex omni animantium genere collegere Plinius, & Columella, sed præcipue Hesiodus, & Virgilius: nam accurrere liber ad honeste uiuendi exempla, quæ ex belluis sumi possunt, & quæ pulcherrima contemplatione in maximam admirationem hominum mentes iure optimo traducunt. Quid magis à brutis abest, quam Religio? Elephas tamen noua luna nitescens in flumen descendit, ubi postquam aqua se circumspersit salutato fidere in filias reuertitur, in ægritudine herbas supinus in cælum iactat, ueluti tellure precibus allegata; nec minus Cynocephalus arduam lunam adorat, Oryx orientem caniculam. Quid gratius est reuertia in dominos? eam tamen præter elephantem, qui regem adorant, genuaque summunt coronas porrigunt, præcipue exhibent Apes, quæ Regem admirantur, & omnes.

Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes.

Et saepe attollunt humeris, & corpora bello

Obiectant, pulchramque petunt per uulnera mortem.

Quid optabilius fide seruorum in dominos? at in ea excellent canes, qui heros suos ne in maximis periculis, nec in ipsa morte deserunt. Quæ quantaque est Temperantia, & quam, quantaque laudem sibi ex ea homines comparant? eam tamen mire obseruat Taurus, qui ad pedetulus dextro tamen poplite ligato se continet à grauidis. Quid uigilantia utilius? eam tamen præferunt Leones aperti oculis dormientes, tum Galli per noctem assidue canentes, ut homines ad conuerta excitent opera, quasi eis inertiam exprobrantes. Quid Fortitudine maius? in ea tamen Rinoceros uiget præcipue, qui nunquam uictus ab hoste recessit. Quid uerecundia honestius? ea tamen præcipue, enitescunt simia & feles alioqui turpes belluæ, quæ sua excrementa effossa terra, aut alia contegunt re superingesta. Et si alia percurrere libet (Video enim uos eiuformidi narratione plurimum delectari.) Quæ belluæ magis industriam ostendunt, quæ formicæ, quæ hyemis memores in horrea fruges medio æstu conuectant, & quæ femina arrosa condunt ne rursus in fruges exeant è terra, quæ maiora ad introitum diuidunt, madefacta imbre proferunt, ac siccant. Quæ magis litterarum studia colunt, quam Cynocephalus, qui litteras effingere discit? Elephantum quoque legimus Græcarum litterarum ductus in puluere scriptitasse. Quæ magis reuerentiâ filiorum in matres, quam Camelus? is enim genitricem suam nunquam superuenit, quin etiam si quis cogat, ipse non patitur. Quæ ardentius laudis contentionem, quam canis? qui simul ac leporem exanimem conspexerit nullo pacto eum attingit: sed consistit, sibi que temperat, æque ac ostenderet, non pro carnibus, sed pro gloria contentitasse.

tasse. Quis melius tempori cedendum esse ostendit, quam Echinus? is enim duas cubilibus suis fenestras facit, alteram Nothum uersus, ad Boream alteram, quaque parte uentum futurum præcognoscit, fenestram obturat, alteram recludit. Vnde Græcè illud manauit prouerbum.

πολλὰς ὄϊς ἀλοπῆς, ἀλλ' ἕκινος ἐν μέγα. hoc est

Multa nouit uulpes, sed unum magnum Echinus.

Quo nam pacto aduersus fortunæ incommoda quisque se munire debeat, ostendit Echinus marinus, qui tempestatem præsentiens lapillis tanquam firmis mœnibus se undique munit. Quanta ad res agendas prudentia sit adhibenda, ostendit Vulpes, quæ paludosam aliquam regionem tranatura, aurè terræ admouet, an strepitum sentiat, explorans, quem ubi percipit, non esse soli firmitudinem coniectat: itaque non progreditur. Consilio quoque; utendum esse, priusquam aliquid aggrediatur, ostendunt Ciconiæ, & Grues, quæ antequam aliquid proficiantur certo quodam loco congregantur, conciliaque; interesse in concionis morem agitant: unde & apud Latinos congruere, pro conuenire inuictum est. Custodiam uerò & uigilantiam docent grues, quæ excubias ordine suo tota nocte disponunt, lapillumque tenent, ut laxatis somno decidens indiligentiam coarguat. Maritalem amorem nulla macula labefactum esse ostendunt Cornices, nec non & columbæ, quæ suis coniugibus contentæ uiuunt. Vidualem pudicitiam indicant turtures, quæ prioribus maritis omissis seper gemunt, neque cum alijs coniunguntur, sed solitaria uitam degunt. Polituræ, & ornatus studium ostendunt pauones, cuius rei illas aues studiossimas esse constat. Miseris opem ferendam esse monstrare & Scari, qui suæ gentis captiuos è naxis extrahunt, caudas illis porrigentes. Subsidium orphanis præstandum esse docuit Offifragia, quæ abiectos pullos ab aquila benigne alit. Sed quisnam innumerabilium ferarum illustres naturas recensere poterit? Permultæ in illis uirtutes, aut potius uirtutum exempla resident; nulla tamen maiore digna laude, quam pietas, qua in primis commendatur ciconia, & delphinus. Præclara hæc uirtus est, & quam homines præcipue profiteri debent; Eius præstantiam cum optime uideret doctissimus Maro, & in Principe ante omnes alias uirtutes locum obtinere, propterea Aeneam, quem sibi celebrandum sumpsit, à pietate in primis commendat, qua de re, nihil nunc dicere oportet, quando noster Academicus cum Sextum AEn. librum auspicaretur de ijs uirtutibus, quibus Principem ornatum esse decet, in sua lectione & grauitate, & copiose tractauit, & de hac uirtute præsertim, qua nulla magis necessaria Principi esse uideatur. Verum hodie magnum pietatis exemplum hoc epigramate nobis proponitur ex huius Delphini memorabili facto, qui non uiuentem hominem in tutum retulit, non infirmum, non enatantem, non seminiuum, non uitam exhalantem: sed iam perditum, iam extinctum, cuius in salute nulla iam spes reliqua erat. Quam rem ut poeta optime indicaret, atque ante oculos proponeret, his uerbis aptissime expressit, Humanum cadauer appellans, non hominem: neque enatandi munus ei tribuens, sed fluitandi, quod mortuorum est proprium, & nauium temone carentium, qua in significatione usus est Virgilius, cum ait.

Cum pater amisso fluitantem errare magistro

Sensit, & ipse ratem nocturnis rexit in undis.

Et Cicero pulchra utens allegoria. Hæc Reip. nauis, inquit, ereptis senatui gubernaculis fluitans in alto tempestatibus seditionum. &c. Qua in significatione. Fluctuandi uoce idem interdum uti solet, ut cum ait. Clemens nauem in solo fluctuantem reliquerat: & si Fluctuandi appellatio potius fluctibus iactari significat, Vnde idem Quid tam commune, quam mare fluctuantibus, litus eiectis? & alibi appellat fluan-

fluantem sententiā, & orationis genus esse refert fluctuans, & dissolutū, eò quod sine nervis, & articulis fluctuat huc, & illuc. Sed ad Delphinum redeo. Complura de huius belluæ pietate in iuvenes narratur. Phalantus Lacedæmonius (ut testatur Pausanias) qui Tarentum Coloniam deduxit, cum naudem fregisset, à delphino in litus asportatus fuit. Telemachus adhuc puer cum lusitans in mare corruisset, Delphinorum beneficio in siccam delatus dicitur, eaq; de causâ & Tarento, & Thelemacho pro insigni Delphinum fuisse legimus. Arionem quoque inclytum citharcedum delphini opera de latronum nautarum manibus ereptum, & incolumem in patriam delatum fuisse scribit Herodotus in Clio, unde arbitror fuisse Ovidium Gelliam, Iulium, Higynium, Plinium, & Plutarchum, Qua de re Græcum extat Bianori Epigramma, quod tale est.

Εἰς πᾶσαν περίπλους Ἀριονος εἰκόνα ταύτην
 Κι τὸν ἀπαυρίνω σύνδρομα νηὶ ἀμενον
 Εἰς ἀλιὸν δελφίνα λέγει δ' ὄπ' Ἀριονί μωδὸς
 Κτηνὸς μὲν ἀνδρῶν ποτὶς, ἰχθυὸς σαλῶμεθα

Ad hoc alludit Alciatus hoc suo epigrammate.

Delphini infidens uada cerula sulcat Arion.

Hocq; aures mulcet, frenat & ora sono.

Quàm sit auari hominis, non tam mens dira ferarum est.

Quiq; uiris rapimur, piscibus eripimur.

Virginem quandam Lesbiam uetusti auctores tradidere cum amatore suo demersos in aquam, delphinorum auxilio incolumes euasisse. Neque desunt exempla de eorundem aduersus mortuos pietate huic, de quo nunc agimus admodū similia. Nam Hesiodi poetæ per errorem in templo Nemæi Iouis ab incolis trucidati cadauer, quod in mare à percussoribus proiectū fuerat, à delphino inter Locridem, & Eubœam expositum fuit. Melicertæ corpus, quod in Isthmum delphinus exposuerat, à Sisypho fuit inuentum. Non mirum igitur, si ueteres magna ueneratione hanc belluam sunt profecuti, ad eò ut neque eam uenarentur, neque lædi permitterent: quem morem etiam piscatores nostræ tempestatis uidentur obseruare. Hinc quoque effectum arbitror, ut frenati delphini simulacrum incolumitatis Symbolum esset ob multos eius opera ab undis seruatos. Est & illud magnum amoris in homines argumentum nam simulac tempestatem imminentem præuidet, ad portum accurrat, una cum cæteris, deq; undis exiliens uideatur quasi nautas, ut in stationes propere se recipiant, inuitare: unde delphinus appiæns tuti receptus indicium esse potest. Sed uidete optimi Academici quàm φιλαρπάδες est Delphinus, hominumq; salutis quantam curam gerat. Vnde existimare fas est eiusmodi belluam ad seruandos homines esse procreatam. cum in sēna tempestate à nautis proijcitur anchora, accurrat subito delphinus, eamq; complexus arenâ interius affigit, quo firmiter adhæreat. quam rem Alciatus ad Principem subditorum incolumitatem procurantē detorquet hoc epigrammate.

Titanij quoties conturbant aquora fratres.

Tum miseris nautas anchora iacta iuuat:

Hanc pius erga homines Delfin complectitur, imis

Tutius ut possit figier illa uadis.

Quam decet hec memores gestare insignia Reges.

Anchora quod nauis, se populo esse suo.

Propterea legimus T. Vespasianū in numismate excudi iussisse anchoræ & delphini imaginem in anchora obuoluti, quo Symbolo quidam significari existimant illud Augu-

Augusti distum *οὐδὲ γρηδίας* Festina lente. quia anchora tarditatem, Delphin celeritatem indicat. Sed melius, & subtilius hanc rem uidetur interpretari Alciatus, qui eam ad Principem defecit, cuius partes sunt ciuium calamitatibus opem ferere & seditionum procellas sedare, cæteraq; mala depellere; & in tranquilla pace populos regere. Neque solum ex Delphino pietatis, sed etiam grati in homines animi exempla sumuntur. Refert Pausanias Delphinum quendam à puero in clamatū statim accurrere solitam, dorsoq; impositum circumuectare, quò uoluisset, quò ab eo redemptus piscatorum manus effugerat. Per multa circumferuntur de amore delphinorum in pueros non turpi: nam castis auribus indigna eiusmodi non afferi oporteret exempla. Refert enim Aelianus Delphinum puerum quendam circumuectare solitū ad Iasium urbem Caræ oræ adiacentem magna cum spectantium admiratione, & noluptate; uerū acuta dorsi spina traiecit eum, cum ei fessus aliquantum incubuisset, obijisse, quod cum delphinus sensisset, se cum puero ad litus proiecisit, ibiq; extinctum esse. quod factum testata sunt & monumentum, ubi uterque sepultus est, & numismata cum imaginibus pueri, & delphini. Plura quoq; narrat Gellius de Delphino, qui quotidie puerum Puteolos ad ludum uectabat; & quomodo puero ex morbo extincto ipse quoq; desiderio extabuerit, extinctusq; sit, in litoreq; inuentus, ab ijs, qui rem cognouerant, in pueri sepulchro humatus fuerit. Simile fere quiddam refert & Oppianus de puero pecora ad litus in Africa pascente. Sed cum uerear, ne falsæ hæc habeantur, præstabit ea silere quàm ingrata, & inutilia asserre. Admiratur tamē Plutarchus piscis huius humanitatem, cum non educatione, uelati canes, & equi, non egestate, ut elephantum, pantheræ, leones ab hominibus liberati; sed genuino quodam affectu, sponteq; sua sit humani generis amator, & insensu hostis Crocodili, qui homini semper insidiatur. Meritò igitur ob tot animi dotes ei inter sidera locus datus est: & si de eo aliter poetæ sentiant, qui fabulantur Delphinum fuisse Neptuni nuntiū, eiq; in amore adiuto; è, cū Thetis deperiret. Arati interpres Delphinum propterea Musicum signum appellatum esse scribit, quia nouem sit stellis insignitum, qui est Musarum numerus. Sed cur non ab animalis natura? Quam enim musicæ amore capiantur Delphines, & quàm mulceantur cantu, quamq; sint *φιλῶδες*, ut *φιλῶδες* hoc est cantus & tibiærum amatores, præter alios abunde testantur Plinius, & Pindarus. Extat peruentum Græci cuiusdam Philippi epigramma de Luscinia, quæ Boream fugiens gloriatur se uectam esse delphino, illumq; Arionis uice delectasse. illud breuitatis causâ prætermitto. Quanta uerò celeritate præstet indicat Aristoteles, Aelianus, & Plinius: est enim omnium animalium uelocissimus, non solum marinorum, sed ocyor uolucrum, acrior telo, ac nisi multum infra rostrum os foret medio pene in uentre, nullus piscium celeritatem eius euaderet. Ceterum tam uiolentum, tam agile, tam pernix animal simul ac terram attigerit, uix in arenam exceptus confestim emoritur, ut refert Plinius. & si Plincianus in Plinium aliter animadertit ex epistola quadam Plinij Cæcilij, in qua agit de puero, & de delphino qui subinde in arenam erumpebat, tatusq; à solis calore iterum se in mare recipiebat. Quare arbitrat Delphinum non illico tasta terra emori, sed perdere celeritatem illam, qua pollebat in aqua, ubi in alienum elementum euaserit. Hinc manasse uolunt proverbium illud, quod est apud Plutar. *δελφίνος ἐν χερσὶ βίω* id est Delphini in terra uis, quod conuenit in eos, qui in quo minus ualent id, toto conatu petunt. Recte Horatius cum rem maxime repugnantem indicare uellet, atq; absurdam, Delphinum siluis appinxit, ad eò impatiens est hæc bellua terreni soli: quam naturam expressit quoq; Aelopos in Delphino Thynnum persequente, qui cum primum terram attigit, extinctus est. Idem autor in hoc epigrammate explicat cum inquit.

Viq;

Virg. sua eiectus, longeq; in littora pulsus

Pro meritis, inquit, mors mihi munus erit.

Vbi simul eius celeritatem, & terræ malum indicat. Hinc pulcherrimum sumitur exemplum officij in mortuos; quos insepultos esse pati nefas est. Apud priscos magno dedecori habitum fuisse legimus, aliquem sepulturæ munere carentem iacere. Hinc apud Homerum Hector Achillem orat, ne se canibus, auiusq; lacerandum relinquat. Priamus magno suo periculo filij corpus petit. Patroclus quoq; Achillem in somnis admonet, rogatq; ut se sepulchri honoris immunem non relinquat. Apud Virgilium idem petit Palinurus ab Ænea. Idem Architas apud Horatium, cum ait.

At tu nauata uage ne parce malignus arena

Osibus & capiti in humato Particulam dare.

Aiæ apud Sophoclem Louem orat, ut statim mortuus sepeliatur. Hæc sepulchri cura & si præcipua hominis uidetur, ut Plinij indicat sententia, Vni, inquit, animantium luctus datus est, uni ambitio, uni auaritia, uni immensa uiuendi cupido, uni superstitio, uni sepulturæ cura; atq; etiam post se de futuro: aliqua tamen animalia attingit: nam sepeliendi ritum apibus assignat Virgilius, cum ait,

Tum corpora luce carentum

Exportant tectis, & tristia funera ducunt.

Quam rem Plinius formicis tribuit, de quibus ait. Sepeliuntur inter se uiuentium solæ præter hominē. Idem Ælianus & gruibus tribuisse uideo. Delphinos quoq; ait Plin. conspectos esse defunctum portantes, ne laceraretur à bellis. Quid uerò in extremo epigrammate apponitur, totum est positum in mouendo affectu pietatis, plurimum enim animum afficiunt uerba illa.

Heu pietas, sortem quid permutauimus? Vnda.

Te mea submersit; me tua terra rapit.

Vbi admodum nitent pulchra illa Antitheta. Vnda, & Terra, Me, & Te, Mea, & Tua, Submersit, & Rapit. Mergere enim maris proprium, ut terræ rapere, quæ ut omnia in luminis auras profert; sic eadem uita destituta ad se rapit, suoq; gremio tanquam pia mater complectitur. Antitheta uerò non uno modo fieri Quintilianus asserit, Nam uel opponuntur singula singulis, ut illud Ciceronis. Vicit pudorem libido, timorem audacia; rationem amentia. Vel bina binis, ut, Nō nostri ingenij, nostri auxilij est: & sententiæ sententiis, ut illud. Odit Populus R. priuatam luxuriam; publicam magnificentiam diligit. In huius epigrammatis antithetis & uerba uerbis, & sententiæ sententijs aptissime pugnant. Sed his omissis (nolo enim diutius meis neq; purgatissimas tot nobilissimorum hominū aures offendere) illud tantum addā quod silentio præteriri nefas esse arbitror. Ex hac eximia Delphini pietate præceptū illud elici posse. Semper beneficiendum esse etiam cum uitæ periculo, neq; unquam pijs actiones metu aliquo prætermittendas. Hanc ob causam celebris est apud sacras litteras bonus ille uir Tobias, qui aduersus Tyranni mandata mortuos maximo suæ uitæ periculo sepeliebat, celebres sunt in sacris historiis sancti illi uiri, qui martirum corpora uentibus ferocissimis tyrannis sepulturæ honore afficiebāt. Nam quid referam Antigone apud Tragicos celebrem, quæ uiua à Creonte tyranno defossa est, quod fratrem illa suum aduersus eius mandata insepultum esse non passa est? Per tinet munus hoc ad Iustitiam, cuius tria genera posuit Plato, unum in Deos, alterum in homines, tertium in mortuos. Discamus ergo optimi uiri Pietatis opera etiam à bellis, nedum ab hominibus. Nam & sapiens nos interdum ab apibus, & à formi-

formicis exemplum sumere iubet, ut disciplinarum omnium magister CHRISTVS præcepit. oportere nos discere prudentiā à serpentibus, simplicesq; mores à colūbis. Omnes uirtutes illustrem hominem reddunt Deo, & hominibus gratum: nulla tamen magis, quam pietas: hæc enim Dei propria est. Nam miserator, & misericors Deus: & ut inquit Diuinus uates. Misericordia Dei plena est terra; & miserationes eius super omnia opera eius. Hancq; ob causam diligit præcipue dominus, qui hac uirtute præditi sunt. Nam misericordiam, & ueritatem diligit Dominus. Respicit hæc uirtus & se ipsum, & socium unde est illa Sapientis admonitio. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitatem, & illa Diuini uatis. Iucundus homo, qui miseretur, & commodat. Hæc bonum auget diuinæ gratiæ. Nam Beati misericordes, quia misericordiam consequentur, auget bona corporis, & fortunæ, Nam misericordia & ueritas præparant bona, ait sapiens. qui optime uidens quot, quantaq; ex ea oriuntur commoda, iure ad eam nos his uerbis hortatur. Misericordia & ueritas non te deserant, circūda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus. Sed ut tandem receptam canamus, Quid opus est reuerentiam in dominos ex apibus discere? Quid fidē ex canibus? Quid uigilantiam ex leonibus? Quid fortitudinem ex rhinocerote? Quid mansuetudinem ex ouibus? Quid Iustitiam ex uulture? Quid castitatem ex turture? Quid simplicitatem ex columbis? Quid reuerentiam in matrem ex camelis? Quid deniq; religionem ex elephantis, & pietatem ex ciconijs, & ex delphinis? Non enim sunt uirtutes in bellis, sed uirtutum quadam nestigia. Discenda hæc sunt nobis à CHRISTO ipso disciplinarum omnium magistro eruditissimo, certissima uirtutum regula, morumq; norma exactissima, omnium deniq; actionum duce atq; exemplo uerissimo, Ab eius uita atq; gestis miseratio nis, ac pietatis præcepta in primis petenda sunt, is enim miseratione ductus salutem humani generis, operatus est. Nam miserationes eius super omnia opera eius. Diuinamq; misericordiam omnipotentis Patris deprecemur, ut actiones nostras miseratione imbuat, superq; animas nostras pietatis, ac benignitatis suæ fontes aperiat, ut, quam in terris salutem Filius piensissimus peregit, ea post hanc uitam cum beatis mentibus, perfrui perpetuò ualeamus.

MARCELLVS CVRTIVS

OCTAVIANI FISCO REGII PATRONI INTEGERR. F.

De Epigrammatis compositione hæc locutus est,

PRAEFECTVS STRATORVM.

Remulta de apum natura, industria, ac moribus admiratione digna à doctis uiris memoriæ prodita sunt, quæ dum a nobis uel leguntur, uel audiuntur, nō minus mentē alunt, quam aures oblectant. Quis enim non magnopere afficitur earum eximia prudentia, cum illæ hiemis incommoda præuidentes tā sedulè, tamq; celeriter sibi cibaria prospiciunt? Quis satis digne admirabitur earundem præclaram in struendis ædibus artem, solertiamq;: tum singulare in regē obsequiū à cuius latere nunquam discedunt, & citius causā horrenda miscent inter se prælia? Quis non in magna traducitur admirationem cum audierit adueniente nocte unā circumuolare, & bombo, seu tubæ sonitu cæteris quietem imperare; nec mora, repente omnes conticescere, cum uerò Aurora nouo terras perfundit lumine, eodem bombo ut buccino aliquo excitatas ad opus prouolare omnes; atq; ex ipsis alias stare ad

re ad portas more Castrorum, alias pedibus flores aggerere, alias aqua ore, guttasque totius corporis lanugine in alvearia afferre? Quid cum iuniores remeant sarcina pandatae alias eas excipere, atque exonerare senioribus interea intus operantibus quarum adhuc officia diuisa sunt: ex his enim aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt, aliae cibum comparant ex eo quod allatum est: neque separatim ueluti, sed omnes simul, ne inaequalitas fiat operis, ac temporis. Quid cum cessantium notant inertiam? ignauosque fucos a praesepibus arcent? Quid earum referam munditiam; cum excrementa omnia unum in locum congesta turbidis diebus, & operis otio eggerunt? Hec ne, quae admirabilem earum industriam indicant, frustra esse a natura illis tradita existimabimus? An non omnibus magno sunt industriae exemplo & maximo incitamento ad laborem? Hec namque si solo naturae impulsu tot, tantaque sciunt, ea nos ratione praediti ignorabimus? neque alter alteri in tam suauibus disciplinarum fauis fruendis mutuum opem ferendam putabit? Ipse igitur harum exemplo incitatus cum focium saeuum iam dicendo defatigatam uideam, grauique onere pressum, accurrendum mihi esse statui, ut eius subsequerem orationem. Nam Epigramma interpretatus, aliqua de epigrammatis structura erat explicaturus. Ea de causa tria super hac re discutienda mihi propono. Primum unde orta sit uocabuli ratio; tum quot eius genera: denique quas in epigrammate componendo regulas seruare oporteat. Quibus expositis, munus promissum omne confecero. Epigrammatis appellatio nihil aliud sonat, nisi inscriptio nem. Solebant enim in tumulis, in scutis, in trophaeis, in statuis inscriptiones fieri paucis uerbis explicatae, quae uero, primoque significatione Epigrammata dicta fuere. qua in significatione usus uidetur Cicero in epistola quadam ad Atticum. Epigramatis, inquit, tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus. Haec Epithaphia quoque dicta sunt, quod in *trao. i.* sepulchro affigebantur. Postea epigrammatis uocabulum breuibus tantum poematis assignatum est, breuitatis causa, quam obtinent, quemadmodum inscriptiones, qua in significatione usus quoque uidetur Cicero in Verrem, cum inquit. Tum epigramma Graecum pernotabile incitum habuit in basi. & pro Archia. Quod epigramma in eum fecisset alternis uerbis longiusculis Neque sibi persuadere quisquam Epigramma esse maioris alicuius poematis particulam, ut quidam falso crediderit, sed per se ipsum permanere, ut caetera breuia poemata, quorum in numero sunt Hymni, quibus deorum laudes complectimur, quales sunt Orphei, Lini, Musaei, Homeri: Ode, quae iuuenum curas, & conuiuia continent. Elegiae amantium miserationibus refertae: Syluae, quae multiplici constant materia, rerumque frequentia: Satyrae, quarum munus est uitia carpere: Eclogae pastorum colloquia continent: Panegyrica, hoc est laudationes, quae in nudinis fiebant in populi conueta & in sacris celebritatibus: Epithalamia nuptijs celebrandis dicata: Epicedia quae in funere recitabantur. Sic Epigramma breue quoddam poema est, cum simplici cuiuspiam rei, uel personae, uel facti indicatione, aut ex propositis aliquid concludens: Ex definitione epigrammatis diuisionem licet colligere, uel enim simplex est tantum rei indicatio, uel composita, quae ex propositis aliquid deducit. Prioris exemplum est. Aeneas haec de Danais uictoribus arma. quae inscriptio est apud Virgilium, aut qualis illa in scuto Agamemnonis.

Ὅτις μὲν φόβος ἐστὶ Βροτάνδ' ὁ δ' ἐν ἀγαμέμνων.

Terror hic est hominum, qui hunc gerit, est Agamemnon.

Posterioris exemplum non appono: eiusmodi sunt ferè omnia, quae pluribus constant carminibus. Sed ad alterum a me propositum accorro. Epigrammatum genera plura esse, nemo est, qui nesciat, idque ex materiae ratione proficisci: nam cum multiplex materia epigrammata ingrediaur, eadem efficit, ut innumerabilia sint eorum genera. Redigi tamen possunt ad tria illa, quae Rhetores causa. uel genera appellant. Nam epigram-

igramma illud, in quo aliquid laudamus, aut uituperamus, ad demonstratiuum pertinet, ut illud Catulli.

Diserisime Romuli nepotum

Quot sunt, quotque fuere Marce Tulli.

Talia sunt permulta Martialis ad Domitianum, cui magnopere assentatur. Tale illud de mutuo amore, quod se prosequerantur Lucanus & Tullus fratres, quod hic recitare non pigebit.

Si Lucane tibi, uel si tibi Tulle darentur,

Qualia Ladæi fata leones habent:

Nobilis haec esset pietatis uicæ duobus,

Quod pro fratre mori uellet uterque prior.

Disceret infernas si quis prior esset ad umbras

Vine tuo frater tempore, uive meo.

Huc quoque pertinent Elogia, & Epitaphia. Cum uero aliquid suademus, aut dissuademus, Deliberatiui speciem praefert. ad quod genus referri potest illud Catulli

Uiuamus mea Lesbia, atque amemus.

Huius generis sunt amatoria, ut illud eiusdem ad Iuencium

O quiflosculus es.

Melios oculos tuos Iuenci

Amabo mea dulcis Ipsithylla.

Denique cum excusamus, aut querimus, ad Iudiciale spectat, ut illud eiusdem.

Lesbia mi semper dicit male, & illud

Irascere iterum meis lambis.

Praeterea cum triplex sit Poeseos genus, quorum unum in narratione consistit, quod *διηγηματικόν* appellant, id est Narratiuum, quale est Lucretij poema, Alterum in collocationibus positum, quod *ἀντιματικόν* dicunt. quale est Comcediarum & aliquot Eclogarum. Tertium uero cum narrat poeta, & alios loquentes inducit, qualis est Virgilij Aeneis? Omnia haec genera epigramma recipere potest. Sin character sine stylum respiciemus, nullum est characteris genus, quod epigramma non admittat modò enim altiloquo, modò humili, interdum medio dicendi genere gaudet. Quod, ad uersutum genera pertinet, nulla est eorum forma, qua epigramma uersutum non possit. Si ad uerba spectamus, non solum propria, translata, & usitata admittit, sed etiam uetera, obsoleta, & noua. Praeterea ex epigrammatibus alia sunt mollia, tenera, ac laxa amatorios affectus continentia. alia contra uiuida, uegeta, acria. Quorum quatuor formae esse solent. Vna est, in qua foeditas & turpitudine consistit, sed quae a poetica facultate explodenda est; huius generis aliqua sunt epigrammata apud Catullum, & Martiale indigna castis auribus: & quae mea quidem sententia penitus ex eorum libris abolenda essent. Hec non obtenebrant solum latinæ candore linguae, sed etiam purgatos mores corrumpunt: mirorque non parum cur ueritatis, & probitatis assertores, quorum id munus est, iam pridem tam turpia, tam foeda carmina non curant abolenda. Iestor Deum in poetarum lectione nihil me magis auerari, nihil mihi maiorem stomachum mouere, quam cum forte aliquid tale oculis occurrerit. Altera species est, in qua amarulentia, ac maledicta continentur; quam tamen probò, dum fiat ob grauos mores carpandos, ut illud Martialis in Gaurum, quod recitare non grauabor.

Quod nimio gaudes noctem producere uino.

Ignosco: uitium Gaure Catonis habes.

Carmina quod scribis Musis, & Apolline nullo,

Laudari debes: hoc Ciceronis habes.

Quod vomis, Antoni: Quod luxuriaris, Apici,

Quod fellas, uitium dic mihi cuius habes?

Sic illud i Gargilianū captatorē, qui munera senib⁹, & uiduis largiebat, eum ab illis speraret hereditatē, proptereaq; liberalis & uideri, & appellari uolebat. Epigra.

Munera quod senibus, uiduisq; ingentia mittis est

Vis te munificum Gargiliane uocem.

Sordidius nihil est: nihil est te spurcius uno,

Qui potes infidias dona uocare tuas.

Sic auidis fallax indulget piscibus hamus.

Callida sic stultas decipit esca feras.

Quid sit largiri, quid sit donare docebo.

Si nescis: dona Gargiliane mihi.

Tertia est, in qua mordetur aliquis, sed sine conuicijs, ut illud est eiusdem ad Tuccam eius uellicans auaritiā, qui Vaticanum uinum uilissimū cū falerno miscebat.

Quid te Tucca inuat uetulo miscere falerno

In vaticanis condita musta cadis?

Quid tantum fecere boni tibi pessima uina?

Aut quid fecerunt, optima uina mali?

De nobis facile est, scelus est Ingulare Falernum

Et dare campano toxica seu a mero.

Conuiuia meruere tui fortasse perire.

Amphora non meruit tam pretiosa mori.

Quarta est i qua rīsus captat sine ulla mordacitate, ut illud ad AELiā, cui tussis excussit.

Si memini, fuerant tibi quatuor AELiā dentes (rat dentes

Expui una duos tussis, & una duos.

Iam securo potes totis tussire diebus:

Nihil istic quod agat, tertia tussis habet.

Sed ne in recitandis occupet epigrammatis, tempus admonet, ut tertium ab solnam propositū: Quas scilicet regulas epigrammatū auctorē spectare oporteat. Sed illud primum admonendus est, Epigramā a duabus uirtutibus præcipue illustrari, a Breuitate, & ab Argutie. Est breuitas, quoddā epigramatis propriū, arguties uerò tanquā forma eiusdē, oriturq; ex inspectata, aut ex conclusione expectationi cōtraria. Decet amatoria epigrammata esse candida, culta, polita, mollia, affectuū plena, iterdū arguta in fine, interdū deficientia & mutila: qua in re plurimum nitet Catullus, ut qui amatorios affectus bellissime explicat, suauibusq; uerbis. Sed in primis cauere oportet languida & insulsa; id. n. epigramatis nitore plurimum extinguit. Cui uerò libitū erit maledicta spargere, aut aliena errata ridere, is multo lepore ac sale epigramā condire studebit, qua i re admodū nitet Marti. At si cuiuspiā uirtutes epigramate aliquo cōplecti uoluerimus grauibis uerbis, & sententijs illud texendum est. In primisque claudendū aliqua sententia argutule prolata, ut est in illo Martialis de Portia, quod clauditur ita.

I nunc

I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Et in illo de puero glacie occiso, quod sic tetminat.

Aut ubi mors non est, si iugularis aqua.

Verba, quæ in epigrammate apponuntur, requirunt in primis splendorem quēdā, ac proprietatem. Translata quoq; adhibenda sunt, sed molliuscule & apte: licet interdū admiscere Græca latinis: sed id parce faciendū; neq; alia de causa, nisi cū Græcum uerbum tanquā quadratus lapis eo in loco melius sedet, uel quia melius re ipsā significat, ut illud Martialis de Palæstrita: ubi inclytam palæstram describens, quæ arte fiebat, & per reflexionem, utitur apposite ἀνακλινοπέλις. Eius uersus sunt hi.

Non amo qui uincit, sed qui succumbere nouit.

Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπέλιν.

Et in epigrammate de pueris Comædis utitur Atticis uocibus. Nam qui corporis elegantia placebant, δειροζωποδοί dicebantur, Id est lucundissimi, qui uerò minime, hi μεσοζωποδοί. i. odio digni, qua de re sunt illi uersus.

Non erit in turba quispiam μεσοζωποδοί ista:

Sed poterit quiuis esse δειροζωποδοί.

Licet quoque Græcis uti uocibus, cum ad alicuius nomen alludere libet. ut Martialis, cum prodigam mulierem notare uellet Sotē filiam, eam ἀσοτος εχεν, i. prodigaliter uiuere dixit. Σιτος enim parum significat. Unde ait,

Sotæ filia Clinici Fabulla.

Deserto sequeris Clitum marito:

Et donas, & amas, εχεις ἀσοτος.

Licet quoque id facere cum Græcā paremiā apponere uolumus, ut idē in Candidū.

Candide νόνα εχων η̄ς sunt tua Candide πάτρα

Quod epigramma clauditur pulchra Antithesi.

Ex opibus tantis ueteri fidoq; sodali

Das nihil, & dicis Candide νόνα φίλων

Epigramma quoque ad Procillum Græca clausit sententia.

Μηστω μνημον συμπατην προκίλλας.

Qua paræmia Græci significant odio dignum esse eum, qui sermones de re ludicra in conuiuio habitos extra proferre audeat. Sunt præterea permulta, qua si belle tractentur, peruentum epigramma reddunt, ut sunt Apostrophæ, allocutiones cū filiis, cum fontibus; Sed nihil magis nitet, quàm pulchra aliqua παρανομασία quam etiā formare licet ex diuersarū linguarū uocibus, ut est in Græco quodam ac peruentum epigramate, cuius initiū est μη ὁ φίλος. Latine dicā propter eos: qui Græca nesciūt Siquid acceperit amicus. Domine Frater, statim scribit, sin cōtra nihil acceperit. Frater, inquit solum. Sunt enim omnia uenalia etiā uerba, Concludit denique Sed ego.

Σὺ κ' ἐδὲ ὁ δόμινε δ' γὰρ ἔχω δόμινε.

Hoc est, Nolo Domine, quid enim dare possim nihil habeo. Vertit hoc epigramma Alciatus in Parergis. In Græco uero sūt illæ uoces. Latina. Domine frater. Annominatio est in Domine δόμινε. Dicit enī epigramatis auctor se nolle appellari Dominū cū nihil habeat, quod dare possit. Antitheta non parum decoris etiā habent, ut illud.

Οὐρίαν inuicam, ὀ incommoda commoda, lux nox

U Martialis Si ne aliquid fias, coges esse nihil.

in Procillum Quædam me cupit Inuide Procille.

Toto candidior puella Cygno:
Argento, nuc, lilio, ligustro,
Sed quandam volo nocte nigriorem
Formica, pice, graculo, Cicada.

Nec minus nitent & Polysema apte disposita, ut in illo Martialis. ad Attalum

Semper agis caussas, & res agis Attale semper.
Est, non est, quod agas; Attale semper agis.
Sires, & caussae desunt; agis Attale mulas
Attale, ne, quod agas, desit, Agas animam.

Nam caussas agere declamare significat, Res agere, est negotia tractare. Agere mulas, significat eas ducere, Agere animam, est mori. Ioci quoque plurimum oblectant in epigrammate, ut ille Martialis in Coquum sumptus ex Homeri uerbis.

Sit tibi Mistyllus Coquus AEmiliane uocatur,
Dicitur quare non Taratalla mihi?

Nam AEmilianus alludens ad Homericum Hemiltichium *μίστυλλος ταρατάλλα* quod Virg. expresit, Pars in frusta secat, coquū Mistyllū appellauerat. Martialis ad sequēs uerbum spectans asserit se male coquū Taratallam appellare. Nemo est in iocis Martiale crebrior, adeo facetis, ac salibus totus est refertus. Sed ut in omni poemate: ita praesertim in epigrammate in primis cauendum est, ne res uerbis subseruiant, illud enim statutum sit, rebus uerba aptanda esse, & ut aiunt, res uerba sequantur. Praeterea praecipunt docti uiri, otiosum uerbum tanquam scopulum esse cauendū: cum enim epigramma breue sit poema, nihil tam respuit, quam superuacaneum uerbum. neque aliud tam admittit, quam uoces rebus, de quibus agitur, quam maxime appositas. Illud denique in Inscriptionibus obseruari fas est, ut in ijs quā simplicissimo filo rei gestae, uictoriae, familiae, patriae narratio explicetur, quale est illud Ennij elogiū,

Aspicite o ciues senis Enni imaginis formam
Hic cecinit uestrum maxima facta Patrum.

Et illud Mantua me genuit, Calabri rapuere: tenet nunc.
Maronis. Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.

Nescio quid breuius, ac prescius dici poterit. Sed quod imprudens excipitro? neque uideo dum de breuitate agitur, me in longam, & molestam incidere orationem. Claudere iam riuos oportet, stat prata biberunt. Illud uerò me male habet; nam uideo me nugas meras, & ineptias hic profudisse, tum blateramenta quaedam eruditae auribus indigna. Sed quid agendum, impositū onus absoluere oportebat, ne inurbanitatis notā subire. Quamobrem primū omnibus gratias ago, quòd me tā benigne audistis, tū rogo, ut meae imperitiae ignoscatis. alias fortasse Deo, unde omne bonum est, fauete, & maiora, & meliora, & aptius, & uberius huc afferre licebit.



FABRITII IVREC. ERVDITISS. F.

Saturnalis serui personam gerens hac locutus est.

DECVRIO.



MIRABITVR quispiam fortasse, cur seruius in tot praestantium Dominorum coetum progredi, uerbaque facere audeat, cum omnium conditionis nostrae, quae omnino misera censetur, illud sit proprium, ut coram hero ne My quidem quisquam proferre queat. Et iam nunc lora & scuticas reformidans horresco. Sed Saturnalia, quae per hosce dies celebrantur, animum addunt, Decembrisque libertas, qua seruis apud heros multa permittuntur, me quoque liberum in dicendo facit. Cur ergo huc me nunc prodisse arbitramini? ut uos uehementer obiurgarem, quòd locupletissimi domini hoc tempore, quo serui cum dominis passim uescuntur, quasi nihil adsit, quod largiamini, ad canam de more nos uestros seruos non uocatis, Iubent atque adeo cogunt uos id facere Saturnalia: inuitat genialis hiems, & horida tempestas, quae celum contraxit.

Nunc etiam parto agricolae plerumque fruuntur
Mutuaque intere se laeti conuiuia curant.

Equidem uereor, ne ea res ab eiusmodi officio uos dehortetur, quòd arbitramini nos esse Milones aliquos, aut Polyphemos, esseque nos integros tauros, aut Indicos elephantes egregie uoratuos. An quia qui crescunt, cum ob caloris copiam multo indigeant alimento, nostros stomachos nostrosque uentriculos tot Syrtis, tot Charybdes esse arbitramini? Videte nostra corpuscula. Quid Pygmaei, quid Chameleontes possunt exiguis quibusque rebus uictitantes? Ne uiuam, atque adeo dispercam, ni pusillae quaeuis placentulae, sapidulaeque quaeuis Tragemata nostros sacellos, nostrasque perullas explere possunt. At haec praetermitto: & si praetermittenda non sunt, quae uiris illustribus maximo solent esse dedecori: illud magnopere dubito, ne uobis maximam turpissimamque illiberalitatis notam inurat, finite me, utor libertate decembri. Vidistis nostros pueros, uestros clientulos tam sedulo, tam audacter uestris officijs adfuisse, admirabilisque dicendi facultate uestras aures ac mentes oblectasse, eisdemque ob tam magnifice susceptam, optimeque peractam prouinciam, cum maximis praemijs se dignos praestiterint, uos patroni omnibus fortunae bonis abundantans nihil datis, nullo honore, nullo munere, nulla denique mercede, ut fas esset, afficitis. Quae isthaec tanta Illiberalitas? nolo eam agrestem inurbanitatem appellare. Sed quo magis tanta imprudentiae, negligentiaeque uos punit, pudeatque, en ego conferuus pauperculus, cui res angusta domi, & qui ex meo dimenso meum defraudans genium paucula quaedam comparati miser, pusillos hos uestros animos arguens, uolo quod per fortunae meae tenuitatem licet, conferuis meis hodie in hoc confessu, spectantibus omnibus, quòd magis oculi doleant uestri, aliquid largiri. Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. Verum quando non adsunt mihi (utinam adessent) argenti, aurique talenta, non purpureae Clamydes, non Cymbia argento perfecta, atque aspera signis, non equi phaleris insignes, CVRTIIS meis

suauissimis ob egregie nauatam operam in explicandis epigrammatum nodis alteri Catulli opus lepidissimum, alteri Martialis libellum omni argutiarum genere refertum dare libet. Accipite uos eo animo, quo dantur, paruos parua decent: finite hos auaritiæ proceres se suaq; magnificere. Iam, quod uideo rumpuntur ilia Codris. Præterea uos hortari non desistam, pergite, ut facitis: sic itur ad astra. Neq; nos commoueat, quod uirtuti uestræ ab alijs nullum præmium exhibeatur. Nam amplissimum sibi ipsi præmium est uirtus. Iterum dico. Ipsa quidem uirtus sibi met pulcherrima merces: omniaq; ei adsunt, quem penes est uirtus. Sed quid Lanfrancis puellis lepidissimis dabo, & Octauio præsertim, qui tam luculentam orationem habuit de Virtutis laudibus. Discrutior animi, nihil nunc in manibus esse. At explora parumper nestimenti latebras, excute loculos, uide, an aliquid ibi forte lateat. Euge Octauii, Enge Marcelle, en adest, pulchella pila, uarijs auium, & ferarum imaginibus referta. E Pedimontij uilla est usque hæc. Nihil gratius, nihil manibus pedibusque uestris accommodatius occurrere poterat. Prò Deum atque hominum fidem. Quàm ægre meis e manibus extorquetur. Hæc una est meum solatiolum, meæ delitiæ. Libellos, aurum facile est, lenamque, togamque mittere: at puerum pilam dare difficile est. Sed quid agis Syrifce? cur hanc animi imbecillitatem non abijcis, non prosternis? en quod desinit magnifice incepta liberalitas? in uitium, quod tantopere in alijs nuper accurasti. Nescis quod quippiam incommodius datur, eò gratius esse, atque carius æstimari. At iam dabo. Vnus tamen restat scrupulus tri sit danda. Si Octauio, iuuidebit Marcellus, si huic, bile tumescet alterius Iecur. Detur utrisque Sed fratrum gratia rara diuidendam exposcet, inutilemque reddet. Ver eorque magnopere, ne ei contingat haud secus ac Antiochi nauibus, quas medias secuit Fabius Labeo. Præstabit igitur apud me unum incolumem, integramque manere, quàm apud alios de sorte periclitari. Rursus Syrifce te auaritiæ pungunt spinæ? sed sit. At iam habeo, quomodo has possim lites componere. Sit Octauij fructu: sit Marcelli usu. Sed heus tu, uide ne utendo abutaris, Tu uerò, ne cum frater uti uoluerit, fruendo astione expostules. Exemplo uobis erunt Gorgones, quæ cum tres essent, uno tamè uicissim oculo utebantur. Haud secus uos fratres unanimes concordia pace ea uobis utendum fruendumque statuetis. Deniq; (quando nostri patroni nihil meo mouentur exemplo firmiq; in sententia stant æque ac Parij lapides, aut Marphesiæ cautes), cum in meâ cellulam hæc Saturnalibus plurima ex uarijs muneribus meo domino traditis clam cõgesserim, nos conseruos omnes ad cænam inuito, & fortasse dubiam. Non desunt Artolagani Arctocrea, Mustaçei, Crustuli, Placētulæ, Cupedia buccellata, Cydoniata, Coriandia saccaro contacta, omnia deniq; bellariorum genera. Depromam interea ex uinaria cella Falernum, Cæcubum, Massicum, Protopum, Amineum, ac generosa qualibet uina, quorum omnium mihi cura tradita est. Nihil deerit ad festos animos exhilarandos accommodatum. Eia agite, rumpite moras, festinate uiri, una omnes tam pulchra oppida oppugnemus manum & maxillarum infestis machinis, expugnabimus certe. Neq; quisquam nisi ignauus ex tam præclara oppugnatione uacuis discedet. En ego semper Dux & comes adero. Nil desperandum Syrifco comite, atque duce.



IOAN

ALTERA.
IOAN. BAP. RINALDI
DIALOGVS

CXVIII

MOMVS MERCVRIVS.

MO.



MOSTQVAM inter Snperos lites non modò non composui, sed etiam tanquam ignem gladio uehementer accendi; en ad homines redeo, si quid tale inter hos licebit concitare. At at quid apparatus iste? Nuptiæ fortasse hic sunt hodie: an opipara aliqua apparatus Cæna? Quis has incolit edes? Lucullus fortasse aliquis, aut Apicius? Hisce sùptibus libentissime soleo adeste, ubi semper aliquid mancum, aliquid insulsum, aut inspidum uel stùpidus, stultusq; potest facillè inuenire. Sed quid hic rot uiri ad Enrotã cessant? aliquid hic meo dente dignum scio esse me hodie inuenturum. Nam otio qui nescit uti, uerum est, eù plus negotij habere, quàm cum est negotium in negotio. Heus uos caute ne otiano in molestum aliquod incidatis otium, quod cum podagra admodum consentire in cæna censuit ille Philosophus, MER. Quid ille garrir? ex Cimmerijs, arbitror, antris nugator hic, atque aded circulator importunissimus emerit nostra studia turbaturus. MOM. Immo opportunus commodusq; aduenio, errataque uestra compositurus, gaudeoque in eiusmodi apparatus, & in talium uirorum conuentum forte incidisse. MER. At mihi dolet non parum talem, tantumq; Blateronem nobis hodie occurrisse. MOM. An qui una cum superis maxima omnium uoluptate uersari solet, eum uos non libentissime accipiendum putabitis? MER. Bonos uiros, modestosq; accipimus non mordaces, non Cynicos. Quamobrem edico tibi: faceffe hinc ad Coruos quamprimùm: alioqui uapulando experiere, quid mea hæc ualeat Virga. MOM. Virgam leones gestant, cum in scenã prodeunt. Sed cum uariegarum non adit pallium, arbitror te aut poetam esse, aut caduceatoris officio fungi. MER. Deorum nuntius ipse sum; Iouis & Maiæ filius omnium bonarum artium præses: faueoq; in primis huic Academiae, quò nobilissimi adolescentes, compluresq; uiri doctissimi omni disciplinarum genere præstantes conuenire solent. MOM. Tu ne ille Mercurius mercatorum, furum, præstigiatorumq; omnium dux & moderator? Cupio ex te aliquid discere. Dic primùm cur uirgam hanc gestas serpentibus implicatam? MER. An solus illa de me uulgata ignoras carmina?

Tum uirgam capit: hac animas ille euocat orco

Pallentes, alias sub tristitia Tartara mittit.

Dat somnos; adimitq;, & lumina morte resignat.

Hanc caduceum uulgo appellant, quod eius uirtute bella, contentionesq; cadant. MOM. Hæc, ut uideo, Palladis uirgam longe superat, quam ei tribuit cæcus ille portentorum enarrator, & qua effingit Vlyssèm lenio penè confectum iuuentæ lumine decoratum esse. Nec minus & Circes uirgam, qua illa potentium herbarum uiribus additis in uarias belluarum formas homines commutabat. Sed explica, quæso, nisi molestum erit, quid sint serpentes isti triplici nodo se mutuò complexi, quid præterea discolor pileus? Quid talaria iste? & quid tandem securis ista cū fistula? MER. Explicabo omnia quàm breuissime, ut te ex horum omnium oculis quamprimùm extrudam. Aduersa huc te, flamina detrussisse puto. Sum ipse eloquentiæ parens eius rei dignitatem uirga hæc indicat, implicati serpentes pacem, concordiamq; ostendunt

diuit, quæ res suauit oratione conciliantur. Pileus nobilitatis, libertatisq; indicium est. nobilissima res oratio est, qua homo à ceteris animatibus differt, eaq; plerumq; cõteguntur, ut pileo caput. Hancq; ob causã cõstat Græcos Vlyssẽ, Castorẽ, Pollucẽ, Hippocratẽ cũ pileis effingere solitos, ut uel eorũ nobilitatẽ, uel artis præstantiã indicarent. Pilei præterea figura hæc semirotunda cælo apta orationis dignitatem quasi Deorum munere datã, hominesq; cæli rerumq; cælestium semper memores esse debere admonet. Duplex hic, quem conspicis color; & bonos & malos oratione adiuari posse clarissime indicat. M O M. Pulchra hæc esse uideo, ne dicam efficta. Perge tamen, ut incepisti; neq; te pigeat reliqua de talaribus, & de bipenni & de fistula edisserere. M E R. Addidere mihi talaria hæc quæ uides, ut orationis celeritas exprimeretur, qua nihil est celerius; unde & poerã ille alata appellauit uerba ut omnes scirent, ad res parandas, explicandasq; celerem debere esse oratorem, in quo sermonis celeritas plurimum commendatur. Fistulam hanc & tu non uides orationis suauitatem indicare, securem esse orationis uim? sape enim eloquentis alicuius uiri oratione domitẽ fuere gentes effera, quæ neq; belli diurnitate, neq; fame, neq; ferro uinci potuerit. M O M. Aliam ipse harum rerum explanationem habeo, quæ magis ueritati consentanea uidetur. M E R. Nimum molestus es. sunt qui hæc ad planetã, cui ipse præsum, naturam hæc referenda arbitrentur. is enim cum solis lumine, cuius comes est, tanquam pileo semper tegatur, ea de causa pileo tegitur caput; Talaria celeritatem, eiusdemq; mobilitatem apposite indicant. Adhuc quia ad quem Deorum accedit, eius naturam sequitur, ideo ei assignata est legatio, pileuq; bicolorum & faustum cum felicibus, & infaustum cum infelicibus esse. Sed tu quid hisce de rebus accepisti? M O M. Audiui Mercurium furacium hominum tutelarem Deum esse, mercatoribusq; plurimum fauere, qui aut fures sunt, aut a furibus parum distant, nihil enim lucrantur, nisi admodum mentiantur. an non hæc furacitas est uitiosas merces pro pretiosis extrudere, & incautis mortalibus decipulas tendere? Propterea Mercurium appellatum esse aiunt, quod mercium curam geret. Neque aliud esse caput galero rectum, nisi rerum pretia, ac lucra inde manantia, quæ mendacijs & fraudibus conteguntur, ut quantilibet emptoribus extrudantur, album atrumq; colore iudicio esse, ab ipsis mala pro bonis imprudentibus subijci; Serpentes nihil aliud esse, nisi dolos, & insidias, adhuc caliditatem, quæ plurimum in eorum uigent negotijs, securim significare crumenæ sectionem, fistulam uerò uerborum lenociniã, impostorum enim est altera manu panem, altera lapidem gestare. Huc accedunt talaria, quibus celeritas in obeundis negotijs admodum necessaria demonstratur. Sunt enim Mercatores huc illuc commeantes quasi alati Mercurij. Sed ubi Gallus perpetuus tuus comes, quem tibi tribuunt uigilantiã causã, quam negotiatores adhibent, cum minime somno eos deditos esse oporteat, sed ad quæstum semper attentos, qui rem suam uberiosem reddere student? M E R. Marti eum concessi ad excubias aduersus Vulcanum. M O M. ò præclarum excubitorem. Iam iam res ipsa eius negligentiam indicabit. M E R. Nimum hic me tuis ineptijs fatigasti, atque adeò uiros holce præclarissimos, quos hic expectantes detinemus. M O M. Quid ita sedent nihil agentes? ijs enim qui in litterarum studijs uersantur, nescio quid ineptius esse potest, quam nihil agere. M E R. Hi & si otiosi tibi uidentur, nunquam minus sũt otiosi, quàm cum hic otiantur. M O M. Cenam aliquã hic expectant? M E R. Lautissimam; sed non quam tu helleuo fortasse animo concepisti: apparauere eam mei Academici, quibus ipsi egregie fauent. sed quid ad te? M O M. Permagni mea intere est, soleo enim omnia quæ aguntur, acri iudicio pensitare: ubi si quid forte erratum fuerit; nemo acutius me id ad rationis normam poterit reuocare. M E R. ut qui Lynceus acutior, ò magnũ Coryphæum. Mirum, ni Zoilus quispiã hic est. M O M.

Momus

Momus ipse sum omnium, quæ aguntur, quæque dicuntur, Aristarchus acerimus. M E R. Tu ne Momus ille noctis filius sine patre? Equidem pessime nobiscum hodie astum puto: Quis est enim Momo mordacior? mordacitatem arguit mustelina hæc tua facies, linidi dentes, & ungues. Sed qui tu Noctis filius, quod uerum, syucerumq; sit in qualibet re potes inuenire? id mordacissimi cuiusque proprium munus est, ut in atra imperitiã caligine uersans, puroq; lumine destitutus, si quid forte peccetur, id minime peripicere ualeat. adde quod & pessimum est, sine certo patre natum esse, incerto enim auctore, atque e uulgo caluminandi studiũ oritur. M O M. Desine suauem stimulare leonem, Vide meos dentes & ungues, quam fortum propria sit discerptio ignoras profecto? Quid ex illius ore egredi poterat, qui Deorum canaculum uertere, curiamq; sternere solet? Qui Apolini boues furatus est? qui confidentem Argo obrunçauit? Qui superis lenocinia exhibet? M E R. Nimum huius importuni mordacitas progreditur. Heus tu facesse hinc quamprimum, ni maui cum Prometheo aquilæ escam præbere, aut uulturi una cum Titio. M O M. Discedam. Sed non antequam sciero, quid tui assecla hic hodie sunt asturi. M E R. Molestam hanc muscam abigere oportet, M O M. Quid muscam? experieris hirudinem cutem non dimissuram nisi cruoris plenam. M E R. Explicabit quidam Lacedæmonũ mores super Græco quodam epigrammate. M O M. Hui Græcũ epigramma, Græcissat an potius Græcantur tui isti Græcali? M E R. Græcantur, uel græcissent, nihil ad te. M O M. licet ne Græculas istorum nugas audire. M E R. Neque audire, neque spectare, abeas si sapiis, ne amplius in mora nobis sies, M O M. saltem salutare. M E R. Ne my quidem. Abi ad coruos nugator importunissime. alioqui uirgam hanc sentient tuæ scapulæ. M O M. Abeo, nolo cũ lepone impurissimo diutius cõtendere. M E R. Viri humanissimi Postquã blateronẽ hunc nostro ex confesũ eieci, omnes uos oro, atque obsecro, si quis Mercurij uestri apud uos ualeat auctoritas, meis istis clientulis alacri animo ad honesta studia tendentibus benignẽ adsis, ut tale iter ingressi, illud hilares perficere ualeant, nam sine uestra ope, aut parum, aut nihil possunt. Ipse: ad Superos ascendens uestraq; officia in eos cõmemorans, enitar sedulo, ut ipsi uestra liberalitate dignam mercedem benignissime omnibus largiantur.



Græcum epigramma explicaturus de Lacedæmoniorum moribus.
hanc habuit lectionem.

TRIARIVS.



NEMINI dubium esse arbitror A.N. omnes homines aut in eo aberrare, quod nesciunt, aut in eo, cuius non exactam scientiã tenent. Quod mihi nõ ignoranti subuereri interdum in mentem uenit, ne illud mihi hoc tẽpore cõtingat, quod oli bellicarũ rerũ imperito Phormioni apud Annibalẽ de re militari optime meritũ cõtingisse fertur. Cũ. n. uix Grãmatices rudimenta degustarim, Græcasq; litteras uix sũmis, quod aiunt, labijs, attigerim, sentio: quã arduum, & quam periculosũ sit, coram uiris eruditissimis Græca inexpertem aggredi uelle. Quamobrẽ nunquã id oneris suscepissẽ, ut Græcum epigramma explicarem ex libro primo epigram. Titulo V. *εις ανδρα* de Lacedæna illa, quæ redeuntis filij pectus hasta seuerissime transfixit, nisi me IOAN. BAP. RINALDI auctoritas ad hæc peragenda impulsisset. Huc accedit non solum laus, quæ à uobis uiris præstantissimis nostris Academicis exhiberi solet: sed etiam honestissima illa animi remissio, quæ ex eiusmodi conuiuio proficiscitur. Quid est enim iucundius? quid homine dignius, quàm in talium uirorum cõtũ uersari, quorum singulari benignitate quisq; frui debet? Animus enim uestrorum studiorũ lenissimis auris facile recreatur. Nec quisquam est, qui insumma rerum, & uerborũ inopia grauisimis sententijs, selectissimaque oratione non abundet, cum primũ uestrorum oculorum radij eum illustrauerint. Vestra igitur benignitate fretus hac prodij, & ut præceptoris mandato satisfacere, & ut aliquod speciem laboris, ingenijque mei exhiberem. Vos uiri humanissimi fauete huic meæ audaciæ, dumq; Lacedæmonicos mores recensẽo benignas mihi aures præbete: nam ex ijs ad Epigrammatis Græci explicationem me conuertam cuius uerba suo loco recitabo.

Populorum mores si quis diligenter inspexerit, alibi in corruptiores, quàm apud Lacedæmonios extitisse haud facile comperiet. Vnde Cicero nunc seueram appellat Lacedæmonia, nunc Lacedæmoniorum spectatam, & laudatam uirtutem. Si quidem tam ex maribus, quàm ex foeminis clarissima honestatis, ac uirtutis exempla habentur; & patientiæ præsertim, quam præfitebantur tanquàm præcipuum studiũ. Quamobrẽ nõ immeritò diuinus ille Plato de Rep. libros scripturus pleraque sibi ex Cretensem, Atheniensem, ac Lacedæmoniorum institutis deprompsit. Horum permulta memoratu digna notantur. Sed illud in primis. Omnes contemnebant artes, & eas præsertim, quæ cinium animos enervare uidebantur, & à labore ad otiosam uitam traducere. Nam bellicæ gloriæ auidi semper gerendis bellis occupabãtur. Neq; oratores, neque sophistas admittebant. Vnde cum Agathides Lacedæmoniorũ Rex à quopiam interrogaretur, cur cum discendi auidus esset, Philosophanem sophistam ad se nõ accerferet; Quoniã, inquit eorũ discipulus esse malo, quorum & filius. Idem etiam Ctesiphontem illum, qui de quavis proposita re abunde se dicturum esse pollicebatur, urbe expulerunt. Vnde Agesilaus, cum quidam mirifice oratorem quempiam extolleret, quod exiguas res uerbis amplificaret, ego, inquit, ne futorem quidem

quam extolleret; quod exiguas res uerbis amplificaret, Ego inquit, ne futorem quidem arbitror bonum, qui paruo pedi magnos inducat calceos. Erant enim breuis orationis studiosi, propter quod Laconice dicebantur loqui, quibreniter, & ut res exigebat, aliquid dicerent. & Cicero sermonis breuitatẽ *λακωνικον* appellat. Quamobrẽ uulgare illud apud uetetes fuisse legimus, facilius multo esse philosophari, quàm Laconicum sermonem imitari. Eorum breuitatem exempla illa testantur. Nam cum inter Lacedæmones, atque Argiuos de agrorum finibus magna esset contentio, cumq; Argiui ea de causa plurima se ipsis mala illaturos esse longiori epistola minitantur, Lacedæmones eorũ garrulitatem contemnẽtes uno tantum uerbo responderũt: *hoc est si*; nimirum significare uolentes, Si licitum erit, quacũq; minamini, efficit, nos enim parati sumus nostra ueri. Itidem & Charilaus cuidam percuntanti cur paucas admodum leges Lycurgus sanxisset, respondit. Pauca dicentibus paucis legibus opus est. Extat & illud in Philippum Regem, qui cum minaretur, se illis arma ablaturum *ελαδεις λαος* hoc est, Veni & cape, dixisse feruntur. Propterea à Demetrio Phalereo *πραξιλαος* .i. breuitatis studiosi appellati sunt. Cum Alexander cuperet Deum haberi; idq; pluribus ad Lacedæmonios scripsisset, ita illi argute, liberẽq; admodũ more suo respondere. Quãdò Alexander uult Deus esse, Deus esto. Refert Plutar. in Apophthegmatis Laconicis, Spartanos consueuisse litteras ad usum tantum discere, reliquarũ disciplinã si nihil prorsus admittere, neq; litteratos uiros, neq; libros. Quippe cũ eorũ ea esset disciplina, ut honeste parerent, labores constantissime tolerarent, pugnadoque aut uincerent, aut interirent. Quare cum quidã Atheniensium Lacedæmonijs imperitiã exprobraret, Recte ais, inquit Phlistonax Pausania filius; soli namque Græcorum nihil mali à nobis discimus. At Plato in Protagora scriptum reliquit, sapientiæ studium apud eos plurimum floruisse, ac potius imperitiã simulasse, ne si sapientiã operam dare deprehensi essent, ceteri ad idem studium accederentur. Quoties ad conuiuia accedebat, maior natu ceteris fores ostendens præcipiebat, ne quis in conuiuio habitos sermones extra proferret; Inde nocturno tempore suos lares petebat sine face, ut assuesceret in tenebris intrepide incidere, forisq; cum in acie uersaretur, si quando usus ueniret, etiam de nocte iter facere non dubitaret. Quolibet anni tempore simplici ueste uti mos erat, à balneis, atque unguentis penitus abstinere, Quisq; aliena, haud secus ac propria curabat; unde non modò in suos liberos, seruosq; ac fundos auctoritatem exercebat, ueram etiam in amicorũ ac propinquorum facultates eodem modo ius obtinebat, ac in suas. Idq; non aliã de ratione facitasse putant, nisi quia illud Pythagoræ, Amicorum omnia esse communia, cõprobabant. Vicinorum famulis, canibus, equis uti licebat, ut proprijs, cum opus erat: nisi forte domino ijs rebus utendum esset. Sed ceteris omisissis, nimirũ .n. esset omnia eorum instituta recensere, ad ea accurrere oportet, quæ ad puerorum educationem pertinent, ea enim prætermittenda non sunt, cum epigrammatis explicationi deseruiant. Erat educatio mulierum propria: eorum enim hunc morẽ fuisse legimus, ut cum primũ pueri essent orti ad Eurotam flumen eos deferrent, ut eorum pueritiã ad futurã militiã labores tolerandos assuetos firmosque redderent, quem morem Virg. ad Latinos transtulit, ut scitis, cum Nomanum gloriosum illum militem ita iactantem facit,

*Durum à stirpe genus: natos ad flumina primũ
Deserimus, saeuoq; gelu duramus, & undis.*

Idem & Germanos inuenio factitasse, quos Strabo scribit, cum explorare uellent an focus legitimo thoro esset cõcepti, iñates fascijs cõstrictos in Rheni uentis alueum abijcere cõsueuisse qui si ad ima mergebantur, tanquã nothos, & spurios repudiabant, qui sospites emerissent, pro legitimis educabant, quam rem Nicobolus quidam in epigramma.

grammate his uerbis attigit.

ὁ δὲ παιδίον

Τερπόριον· παιδὸν με τῶν ἀπο τηλόδι ἴσον
ὡς ῥόδον ἐυγενεὸς ρίζῃ κρτέντα ῥόδου.

Hoc est. Si uerò malis delester, e liberis me tuis procul abige tielut spurium nobilis Rheni probatum fluentis. Sunt tamen auctores, ut refert Cæl. Rodig. qui afferat infantes uino ablui à matribus solitos; ut quæ eorum habitudo futura esset, explorarent. ferunt enim huiusce rei periti ægritudinibus obnoxios admoto mero debilitari ac resolui: qui uerò sint firmæ ualetudinis, eos magis roborari, ac confirmari. Hi postea pueritiæ ætatem ingressi ad Dianæ aram flagellis grauitè cædebantur; ita puerorum indolè Lacedæmones explorabant. Nam si quis ex illis flagella hilarius cæteris excepiisset, nulloque eiulatu edito, neq; ingemiscens diutius sustinisset, is uictor habebatur, maximoque afficiebatur honore. Quæ res nimiam patrum in pueros indulgentiam uidetur exprobrare, quos ad eò in delicijs educant, ut eos ad laborem inutiles, & omnis increpationis impatientes reddant. Huius aræ, apud quam pueri cædebantur, meminit Virg. lib. AE.7. & Lucanus.

Et Tavanis Scythica non mitior ara Diana

Atq; ut pueri diligentius ebrietatis malum effugerent, seruos uino distentos, ac propterea in turpia multa dilabentes eis patres ostendebant, ita indicâtes nihil esse melius sobrietatè. Iuuenum corpora laboribus obfirmabant, quem morem etiam in feminas transulere, quibus magis palæstra, sol, Eurotas, puluis, labor, militia erat cordi, quàm fertilitas barbara. Quamobrem puellas hand secus ac pueros & uersari nudas & quibusdam in sacris saltare, & canere, præsentibus simulq; adstantibus iuuenibus licebat, quod Propertius his uerbis expressit.

Multa tuæ Sparte mirantur dona palæstra

Sed mage uirginei munera Gymnasi.

Quod non infames exercet corpore laudes

Iner luctantes nuda puella uiros.

Illud etiam ostendit Lacedæmonum seueram disciplinam, quod iuuenes cogebantur simplici tantum ueste uti supra stibadas, quas ipsi ex arundinibus iuxta Eurotam nascentibus congerebant, ibiq; somnum capere, per hiemem uerò sibi licophanos substernere licebat, & stibadibus commiscere, quod ea materia caloris quidaam habere uidebatur. Iuuenum magna erat reuerentia in senes, cum illis de uia cedere, assurgere & domum reducere cogentur. Seniorum uerò munus erat, iuniores interrogare, quod irent, quid acturi essent, acriterque increpare, si quis aut nihil responderet, aut inanes causas afferret, quod nisi egissent, eidem pœnæ obnoxii erant, ac auctores criminis. Quàm uerò parum, aut nihil matres filijs indulgerent, & quàm grauitè eorum errata corrigerent, si quis bellicis in rebus aliquantulum offendisset, aut minus Sparta dignum se præstitisset, neque strenuam in bello operam nauasset, ea res clarissime indicat, quod eos etiam ad necem prosequerentur, tanti enim bellicam uirtutem faciebant, ut si quis pro patria fortiter pugnans obiisset, cum eo optimè actum esse putarent: contra ubi quispiam aut imbellem, aut legnem se præstitisset, ac pro partium sanguinem effundere recusasset, is nullius pretij, ac tanquam mortuus habebatur. Erat hæc totius ciuitatis consuetudo eos, qui in prælijs occubissent, hilari uultu prosequi, incolumes tristi, Huius rei extat apud Xenophontem pulcherimum exemplum. Nam cum in Leutrica pugna atrita profusus esset Lacedæmoniorum gloria, quorum propinqui in prælio erant cæsi, ij in uiam nitidi, hilaresque prodibant, quorum uerò propinqui superstitès ea pugna excessissent, ij afflicti, lugentes, in tenebris agentes se domi continebant: per pauci, hiq; tristi, ac seuerò uultu demissis

oculis

oculis limina egrediebantur. Sed redeo ad Lacenas. audite Academici admirandam earum mulierum constantiam. Natos ad bellum profecturos matres scutum porrigentes his uerbis admonebant, ἢ τὸν ἢ ἐπὶ τὸν, hoc est aut cum hoc, aut in hoc. nimirum significantes, ut aut uictores domum cum scuto redirent, aut fortiter pugnando occumberent. Non immerito Epaminundam Lacedæmoniorum ducem clarissimum legimus tum demum sibi auelli spiculum iussisse, ubi percontanti relatum fuit clypeum esse saluum. Ad hoc institutum arbitror Virgilium alluisse, apud quem Euan dri milites.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Si quis aut imbellem se in prælio præstitisset, aut sine scuto domum redire conabatur, is proculdubio uitæ periculum subibat, quod ei à matre ipsa paratum erat. Extant plura apud auctores matrum sæuitiæ exempla in ignauos filios, qui ex prælijs inhoneste profugerant. interque ea celebre est Damatriæ factum, quæ cum filium omnibus armis exatum in patriam celeriter remeantem aspiceret, cumque cum Sparta indignum existimaret, aduentantem inuita hasta medium traiecit, illud addens. Abi indignus Sparta ad inferos & patriam, & matrem mentitus. Qua de re extat Græcum epigramma, quod mihi explicandum propositum est. cuius explicationem antequam aggrediar, ipsum recitare oportet. Audite quæso.

Ἴμνον ἰδὸσα λάλασσα παλῆτροπον ἐκ πολέμου
παλδ' εὐν ἐς πατραν ἀκὴν ἴεντα πῆδα
Ἄντη εἰ ζῆσα δι' ἵππατος ἦλασε λογχὴν
Ἄρρενα ριζαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένα
Ἀλλότροπον σπάρτας εἶπε γένος ἔτρε πρὸς ἀΐδα
Ἐρ' ἔπει ἐξέυσα πατρίδα κὶ γένεταν.

Hoc epigramma & si alios latine scio expressisse, uolui tamen ipse experiri, an idè facere possem, itaq; sic uerti.

Imbellem cernens natum remeare Lacena

Et celeri in patriam sic properare pede.

Occurrens miseri costas transuerberat hasta.

Atq; expirantem talibus alloquitur.

Mentitum Spartam sic sic fas ire sub umbras:

Hæc fas degeneri munera retribui.

In huius Græci epigrammatis uerbis explicandis nihil immorabor, nimium enim uestra abuterer parietia. Illud solum adnotabo, quod hic dicitur, ἀκὴν ποδα, apud Latinos dici solere, concitato pede, & quod hic est, δι' ἵππατος ἦλασε λογχὴν, apud Virgilium modò est, Transadigit costas, nunc Medium transuerberat icæu, nunc, & Pectus perforat ingens, & Aduersi longa transterberat abiete pectus. Interdum Transilit, Transiicit, nunc latus haurit apertum, sic apud eundem legas Traiecta pectora ferro, nunc Transfixa, nunc Perfossa. Illud quoque ἀρρενα ριζαμένη φθόγγον Virgilius expressisse uideretur. cum ait. Compositò rumpit uocem. cætera Grammaticis permittamus. Sunt uerò & alia huic exempla similia. Mater quædam filium domum redeuntè cum aspexisset percontata, dicitur quid patria ageret? significans quo in statu Resp. esset, cum Is omnes ferè ad unum interijisse respondisset, laterem in eius caput conijciens inquit. Te igitur nobis misere mali nuntium. vita eum indignum existimauit, qui cum suis mortem obire recusasset. Alia cum filium incolumen audisset, sed è præ

ho turpiter effugisse, ad eum ita scripsit. Malus de te rumor circumfertur: propterea hunc aut dilue, aut ne sis. Alia, cum ei filius narrasset, fratrem suum fortiter in acie occubuisse. An non turpe ducis, te illi comitem non fuisse? Alia cum filium in praelio mortuum esse audisset. Idcirco, inquit, genueram, fortiter ut esset, qui pro patria non dubitaret occumbere. Alia ad suburbium expectans, ut de belli exitu cognosceret, cuidam dicenti quinque filios, quos miserat ad bellum, omnes obijisse. non hoc percontabar, inquit, ignauum mancipium, sed quid ageret patria? isque cum uictoriam a patria stetit dixisset, libenter, inquit, filiorum interitum accipio. Quid Paulaniae matris factum referam, quae ad filium claudendum in aede Neptuni lapidem attulisse fertur, cum is ob aliqua scelera ab Ephoris illic conclusus esset. Deduceret me dies, si talia colligere uellem, quare finem dicendi faciam, si aliqua tantum de scuto addidero, & cur Lacedaemones tanti inter cetera arma hoc faciebant, ut illius iacturam grauissimam existimarent. Est scutum defensionis instrumentum, eo enim corporis sui tutandi gratia utuntur milites, quod eo indicio comprobatur: Nam milites ignominiose tractari ubique legas, qui in eo plus fidei, quam in gladio collocassent. Unde illud Scipionis dictum in militem decoro clypeo speciosum extat. Non miror, inquit, quod clypeum tanta ornaris cura, in quo plus praesidij statuas, quam in gladio. Fuit quoque apud praesicos uetustum illud institutum, ut qui nihil praecleari in bello gessisset, alba uteretur Parma. Ideo apud Virgilium militatum procedit iuuenis ille Parma inglorius alba. qui uero se strenuum praestitisset, ei licebat fortia facta in scuto describere, qua ex re familiae cuiusque propria insignia uidentur ortum habuisse. Vegetius scribit in scutis morem fuisse diuersa signa effingi, quae appellabant Digmata, in interiore uero scuti parte uniuscuiusque militis nomen scribi, addito ex qua cohorte, quae esset centuria. Homerus ingeniorum fons, & Philosophorum pater in Achillis clypeo totum terrarum orbem effictum fuisse a Vulcano scribit. cum eo contendens Hesioidus multa & Heroum, & Deorum & ferarum certamina effingit in Herculis scuto. Vtrumque imitatus Virgilius in Aeneae scuto Romanorum gesta, & Augusti praesertim aptissime apponit. Lacedaemoniorum mos fuit, quae sui nominis prima erat nota, in eo describere. ut Messeniorum M. Populi Romani. S. P. Q. R. inuenimus tamen Muscae simulacrum in Laconum clypeis insigne fuisse, ut ferocitatem, ac pertinaciam militum indicarent; eo enim ingenio est musca, ut neque moram, neque requiem det ullam, quousque uulnus infixit, quae & saepe abacta ab incepto non desistit. Unde est illius militis apophthegma, qui obijcanti cuidam, quod paruae muscae imaginem gestaret, ut lateret, respondit, se tam proxime ad hostes accedere, ut muscae ab ipsis conspici posset. In Domitiani scuto erat Medusae caput ad terrorem indicandum, ut in Agamemnonis clypeo uersus ille Graecus.

ὁ τὸς μὲν Φέβος ἐστὶ βροτῶν ὁ δ' ἄχων Ἀγαμέμνων.

In Pompeij Magni clypeo fuit insigne Leonis cum gladio. Fuit quoque scutum salutis signum, ut Numa interpretatus est, ubi Ancyle de caelo delapsum salutem urbi immisissam significauit. Saluti aliquibus scutum fuisse indicat Graecum illud epigramma Iulij Leonidae de milite quodam, quem in praelio, & in mari scutum incolumem reddidit, quod Alcibiades his uerbis expressit.

*Bina pericla unis effugi sedulus armis
Cum premererq; solo, cum premererq; salo
Incolumen ex acie clypeus me praestitit, idem
Nauis fragum littora ad usq; tulit.*

Quod

Quod factum imitatus uidetur Claudianus in Panegyricis, cum Horatium Coclium super clypeo ad suos remeantem facit.

*Traiecit clypeo Tybrim, quo texerat urbem.
Tarquino mirante Cocles, medijsq; superbus
Porfennam respexit aquis.*

Milites quoque Caesaris Alexandrino bello e ponte deieci scutis tanquam lintribus allenari ad proxima nauigia adnatarunt. Hic enim erat militum usus in traiciendis fluminibus, ut super scuta incumbentes ad ulteriorem ripam peruenirent. cum igitur Scutum & saluti & defensionis deseruiret, merito tanto in honore non solum apud Lacedaemonas, sed etiam apud ceteros habitum est. eoque plerumque honoris causa milites ab Imperatoribus donabantur. Et apud Virgilium Aeneas iubet clypeum efferri; & dari Nyso. Affigebantur & Scuta Deorum templis unde apud Liuium inuenias argentea clypea templis illata, & Dijs dicata. sic apud eundem Virgilium Aeneas ait.

*Aere cauo clypeum, & magni gestamen Abantis
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo.
Aeneas haec de Danais uictoribus arma.*

Sed iam Academici receptui canendum. Illud tamen silentio non inuoluam, ut tria sunt praecipua profanae militiae arma scutum, hasta, & gladius. Sic in Christiana militia tria esse firmissima munimenta. Fidem, Spem, & Charitatem. Tradit haec nobis optima genitrix Ecclesia Romana, & instar praestantissimae Lacanae primum proponit scutum Fidei, in quo unumquemque suum nomen inscribere oportet, & praesertim CHRISTI Saluatoris nostri uiuam imaginem gestare, sub eius signo militanti nunquam de uictoria desperandum est. Cum hoc aduersus aeternos S. R. E. hostes progredi opus est; in hoc uiuere, in hoc mori, huius praecipua nobis habenda cura est: Hoc in morte instar Epaminundae petendum, ne illud obijciatur. Amen, nescio uos. Sine hoc nemo potest placere Deo. Addatur Spei erecta hasta, ac firma, quae penetrat caelum. Nam sperantem in Domino misericordia circundabit. Adsit flammeus Charitatis gladius, qui si deerit, irrita fiet concertatio nostra. Nam si habuerimus omnem fidem, ut ait Apostolus, ita, ut transferamus montes, & si distribuerimus in cibos pauperum omnes facultates nostras, charitatem autem non habuerimus, nihil est, nihil nobis prodest. His armis te, & atque muniti & cum hostibus tuto pugnare, & post partem de Mundo, de Morte, de carne uictoriam ad patriam, ad aeternam uitam, ad CHRISTVM ducem nostrum redire poterimus, & Triumphali corona liberissime decorari.



ACADEMICA
CAROLVS BRANCA CIVS TIBERII PATRICII
HONESTISS. ET MILITARIS DISCIPLINAE
GLORIA CLARISS. F.

Titulum de Iustitia & Iure aggressurus hanc habuit lectionem.

TRIBVNVS CELERV.M.



AVDATARVM artium, Humanarumq; disciplinarum omnium Iuris scientiam parentem existere *κιναισιτα ερριτεκτοικην*, ut Aristotelis uerbo utar, communis omnium consensus, ratio, res ipsa ita comprobant, ita confirmant, ut si quis aliter dicere audeat, eum aduersus solem loqui, ac potius plumbeum, stupidum, profusq; amentem liceat existimare. Siquidem nihil militaris disciplina aggreditur, nihil ceterae artes omnes ac facultates, quin haec tanquam domina, ac regina cuiq; modum praescribat quid, quatenus, quomodo id agere debeat, quod agendum sit. Huic inest dignitas omnis, utilitas, atq; iucunditas. Quid enim ea iucundius esse potest, si eius uirtute diuina, atque humana cognoscimus? Quid utilius, si haec una tribuit cuiq; suam? Quid maius, quid dignius quam huius beneficio populos, regna, Resp. consilio & sapientia regere, ac gubernare? Recte Cicero, Nihil est, inquit, in ciuitate tam diligenter retinendum quam ius ciuile. etenim hoc sublato nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse quid suum, aut quid alienum sit: nihil est, quod aequabile inter omnes atq; unum omnibus esse possit. Multa sunt, quae huius scientiae praestantiam indicant, sed nihil magis quam incredibilis quaedam difficultas. Quo magis eorum error improbandus est, qui plerunq; ad legales nodos explicandos accedunt nulla cognitione rerum sustentati, nulla scientia muniti, nulla dicendi facultate ornati. Amicis atq; clientibus opem ferre difficile est: multo uero difficilius populos regere, iura describere, comoda ciuium tueri, oesq; in eadem aequitate continere: oium uero difficillimum esse statuo iuris dogmata euoluere, iureconsultorum mentem attingere, oraculaq; legalia explicare. Non enim oibus inest ingenij perspicacia ad excogitandum idonea, non explicandi atq; ornandi facultas, atq; ubertas, non deniq; firma ac diuturna excogitata retinendi memoria. Hinc Cicero testat, semper pulchrum fuisse ius docere, hominumq; clarissimo riu discipulis floruisse domos, idq; & factitatum, & gloriosum fuisse. Quod uero id muneris primis temporibus Patriciorum fuerit proprium testatur Horatius cum inquit.

*Roma dulce fuit diu, & solenne reclusa
Mane domo uigilare, & clienti promere iura.*

Sed multo clarius Dionysius Halic. lib. 2. cum ait. *Τὸ ἐμὲν πατριαιδὲς εἶδε τοῖς ἐαυτῶν πελαταῖς ἐχρηθεῖν τὰ δικασα, ὡν δ' αὖ ἐχρον ἐκείνοι τὴν ἐπισημν.* Quod si ita est, quo animo esse me hodie censerebitis, qui uix à limine ipso tam praeclearam, tam arduam scientiam salutariam, cum impositum sit primi tituli institutionum, ac totius iuris ciuilibus initium interpretari. Hac canis urget, hac lupus. Scitis rerum incipiendarum semper difficultatem comitem existere. Hinc ergo rei magnitudine deterreo, hinc praceptoris mandata urgent. Et militem Duci parere oportet. Quid igitur faciam? ut nouus miles ac inexpertus opem implorabo tot praestantissimorum militum, quos de legali militia optime meritis multa & magna praemia ex ea re accepisse uideo; Adest hic hodie IACOBVS GALLVS iuris Caesarei, ac Pontificij omnium peritissimus, qui abhinc annos iuris scientiam in ciuitate nostra publice profitetur tanta cum laude, tantaq; omnium commendatione, ut uix unus, aut alter pari doctrina excultus suggestum

gestum illum ascenderit; Est eius oratio tanta eruditione referta, tanta elegancia perpolitata in explicandis legalibus nodis ut Paulum aut Scenolam in dicendi ubertate ac maiestate Demosthenem ac Ciceronem simul referre uideatur. Adiunt quoque IVLIVS ET FABIVS MINADOI Magni illius THOMAE Senatoris amplissimi ac eruditissimi filij ac uiri admirabili ingenio & summa eruditione praediti. in quorum conspectu quis nugari poterit. ipse tamen enitar, ut poterit. Audaciam igitur hanc adiuuate, bonique consulite, illud scientes ardua tentasse nunquam laude aliqua caruisse. Est illud in more positum apud interpretes omnes, ut antequam opus aliquod aggrediantur, quaedam praemittant cognitione digna, quae Graeci tum *προλογουμενα*, tum *προφυλαγματα* solent appellare; nostri modò Prologia, modò praemissa, eaq; tanti momenti esse censent, ut non modò ad ea, quae in opere ipse tractantur faciliorem aditum praestent, sed neq; quidquam sine his recte percipi posse existimet. Ea uero sunt: Quis est operis auctor? Quod eius propositum? Quod libri subiectum? Qui titulus? Ad quam denique Philosophiae partem pertineat. Sed cum in hoc libro de iure ciuili Romanorum agatur, dicere aliqua oportet de legibus, deq; earum inuentoribus; tum de Iustitia ipsarum matre, quando is titulus, in quo de iustitia agitur, mihi explicandus propositus est. Operis huius auctorem constat esse Iustinianum Imperatorem, non solum armorum, sed etiam legum gloria clarissimum, qui à Iustino auunculo & adoptatus, & ad imperij societatem fuit adscitus. Quo mortuo solus imperium administrans duorum uirorum praecipua opera usus dicitur, tum ceteri Imperatores, & Triboniani in urbanis. Illius ducis uirtute Persas in Asia, Vandalos in Africa, Gothos immanissimas gentes in Italia profiganit. Triboniani uero diligentia leges à Romuli temporibus in multa caligine uersantes ob rerum innumerabilem uarietatem, in optimam formam, perspicuumq; ordinem redexit. Longo enim tempore ante Iustinianum commentariorum ac scripturarum quaedam quasi elutiuus ciuile occuparat: Quod cum Iulius Caesar animaduertisset. tum ceteri Imperatores, & si in animo habuere malum hoc aliquo pacto corrigere, multis tamen districti negotijs, uel id nulla ratione fieri posse desperantes praetermiserunt ut rem arduam, multisq; difficultatibus circumseptam. Iustinianus uero publico beneficio commotus Triboniano id negotij delegauit, ut innumerabilem illam legum uarietatem in optimam formam redigeret. Quamobrem is constitutiones primum Imperatorum tribus libris conclusas Gregoriano scilicet, Hermogeniano, & Theodosiano magna diligentia in unum uolumen collegit, quem codicem constitutionum appellauit. Postea uero xvi uiris eruditissimis ad laborem adhibitis, uniuersa ueterum Iureconsultorum scripta in unum collecta ac optime digesta composuit, quae cum in aptam formam essent redacta, ac pluribus mendis expurgata Digesta Latine, Graece Pandectae fuerunt appellata, propterea quod omnium Iureconsultorum placita contineret. id enim Graeca uox innuit, quae à *παν* & *δεχμα* composita est, non à Deste ut ait Acursius, qui ob Graecae linguae imperitiam saepe uoces male interpretatur. unde A. Gellius refert Titonem Ciceronis libertum libros de uarijs & promiscuis quaestionibus composuisse, eosque Pandectas appellasse tanquam omne rerum ac doctrinarum genus comprehendentes. Sed uix confectum erat hoc opus Pandectarum, quod in quinquaginta libros distributum est: cum Iustiniani mandato unà cum Theophilo & Dorotheo iureconsultis illius tempestatis clarissimis institutionum opus contextit ex ijs elementis, quae de iuris scientia à ueteribus tradita erant. Itaque Iustiniano Imperante legum libri uulgo habiti fuere, Pandectarum, Institutionum, & Constitutionum, qui liber nunc praecise Codex appellatur. His accessit quartus earum, quae per omne Iustiniani imperium scriptae fuerunt, quas modò Nouellas, modò Authentica appellant. Ex his ergo, quae dicta sunt, cuique perspicuum esse potest, quis fuerit libri auctor. Quae uero

eius mens fuerit, quis non uidet eum id intendisse, quoniam pacto iureconsultum, qui publica reſte, iusteque ſit administraturus, erudiret. Na ut Xenophon in ſua Pædia ſub Cyri perſona optimum principem inſtituit, ut Cicero oratorem in ijs, quæ de perfectio oratore ſcripſit: ut Horatius Poetam in ſua Poetice: haud ſecus Iuſtinianus iurecõſultum erudire cogitat, qui populos ſibi commiſſos reſte poſſit gubernare. Atque cum iurecõſultus in iudicijs diſceptandis, controuerſijsq; ſedandis uerſetur, propterea ipſi illarum rerum cognitio neceſſaria eſt, ex quibus iudicia conſtant. ſuunt enim hæc ex Perſonis, ex Rebus, & ex Actionibus. Inde effectum eſt, ut inſtitutionum liber tria hæc contineret, ut inquit Iuſtinianus ipſe Tit. 2. §. omne. ut etiam habetur in l. 1. D. de ſtatu hominum. Poſſamus igitur tria hæc huius operis ſubiectum ſtatuere. Perſonas ſcilicet, Reſ, & Actiones. cum in his præcipue omnis tractatio uerſetur, quod ſyllogiſtica forma ita inferre licet. Illud eſt ſubiectum in quolibet libro, cuius paſſiones, & dignitates, ac ſpecies conſiderantur, ſed hæc de Perſonis, Rebus, & Actionibus in hoc libro inquiruntur: igitur Perſona Reſ & Actiones libri huius ſubiectum inſtituere oportet. Poſſem hic de ſubiecto aliqua dicere. Nam apud logicos ſumitur multifariam. nunc enim ponitur pro ſubiecto prædicationis (utar enim eorum uocibus) eſtq; prior pars propoſitionis, de qua prædicatum dicitur. nunc pro ſubiecto in hæſionis, quo quidem ſenſu dicimus niuem eſſe ſubiectum albedinis, corum nigredinis: eo quod hæc accidentia niui, & cornu inherant. nunc pro ſubiecto, quod illi conſiderationis appellant. ita dictum quod in illa facultate conſideratur; ſed hæc illis permittenda ſunt; nolo ipſe in alienam meſſem ſalcem immittere. Quare ad operis titulum descendere oportet. Inſcribitur opus inſtitutionum, ita enim à Iuſtiniano ipſo appellatur in huius lib. Proœmio. ſunt autem inſtitutiones præcepta, ſive regulæ quædam, quibus homines docentur, & ad aliquam diſciplinam capeſſendam inſormantur. Sic à Quintiliano dicti ſunt Libri Inſtitutionum oratoriarum. Quare carpendi ſunt, qui uulgò inſtituta appellant, cum inſtituta bonos mores ſignificent conſilio ſumptos, & domeſticam diſciplinam, quæ reſ litteris non mandantur: ſed communi quadam conſuetudine ſeruantur, ita apud Valer. Max. extat Titulus de inſtitutis antiquis. Qua de re Laur. Val. pluribus agit lib. 4. eleg. Accurſus, ita dictas arbitratur, quia in ſtatu Romani iuris noſtram erigunt intelligentiam, cum potius ab inſtituendo nomen habeant. Sed iam ſinem inueſtigare oportet, cuius cauſa liber hic conſectus eſt. Vulgata eſt enim illa ſententia, omne agens agere propter ſinem. Verum ut hunc inueniamus, ſcire oportet ſinem adnumerari inter quatuor illas cauſarum formas, quarum non ſolum Philoſophi, ſed etiam iurecõſulti meminere. Tunc enim aliquid ſcimus, cum cauſas cognoſcimus. Harum una eſt, quæ quid eſt eſſe, hoc eſt rei eſſentiam ſive naturam ſignificat, quæ eſt ſubſtantix ratio, forma, & definitio. Hæc eſt, quæ dat eſſe ſpecificum rebus: neque enim unquam reſ ſuum eſſe habere dicitur, niſi ſua forma ſit prædita. Altera eſt, ſine qua forma ſubſiſtere non poteſt, quæ materia appellatur. Quidquid enim ſit, ex præexiſtenti aliqua materia fieri neceſſe eſt. Tertia eſt, unde ſit initium motus: Atque hæc efficiens cauſa appellatur. Nihil enim fieri poſſet ſuapte natura, ac per ſe, ut aiunt, niſi eius opifex aliquis eſſet. Quarta uerò Finalis eſt, cuius gratia quippiam ſit; ſinis enim agentem mouet, unde apud morales Philoſophos poni ſolent tria illa, Honèſtum, Utile, & Inconduum, quorum gratia pleraque omnia ab hominibus efficiuntur, ſed ſinis eſt duplex, uel Naturæ, ut Medicinæ ſanitas, militiæ uictoria, architecturæ ædificium; alter eſt neceſſitatis, ut cum pauper optat diuitias, infirmus ſanitatem, Imperitus ſcientiam. Sed ut hæc initio repetamus, Materia, circa quam totus liber uerſatur, ſunt Perſonæ, Reſ, & Actiones, uel homo reſ adminiſtrans, ut ſupra diximus, cum de ſubiecto egimus. In idem enim libri ſubiectum, & materia recidunt, Quod uerò ad for-

nam

nam ſpectat, ſcire oportet, eam apprime methodicam eſſe. Nam cum duplex ſit docendi modus, uel Diuiſiuis, uel compoſitiuis, clarum eſt, Iuſtinianum pro rerum uarietate, ac natura, modò hunc, modò illum ſeruauit, plerumque diuiſiuis uſum eſſe. cum ex toto ad partes procedat, ut in pluribus Titulis perſpici facile poteſt. Adhibet præterea & alias tradendi formas: nam interdum inſtructiua utitur, ut cum agit de iuſtitia, & iure. interdum Deciſiua, ut cum agit de Libertinis: nunc Statutiua, ut cum tractat de ijs, qui ſui uel alieni ſunt iuris. Nunc Punitiua, ut cum tractat de Publicis iudicijs. Efficientem uerò cauſam conſtat eſſe Iuſtinianum tum ex libri titulo, tum ex ijs, quæ ſupra adduximus. Inſtrumentalem Tribonianum, ceterosq; iuris peritos, quorum opera in his libris ſcribendis præcipue uſus eſt. Finalis uerò cauſa cum duplex ſtatu ſoleat, uel propinqua, uel remota. in hoc opere utramq; ſtatuere licet. Remotam enim aſſerimus humanam, ac ciuilem felicitatem, per quam tanquam per gradus ad æternitatem ſcanditur; propinquam uerò Reip. adminiſtrationem, quam Iuſtinianus ipſe in proœmij ſine innuit §. Summa itaque ope. Super eſt, ut inquiramus, ad quam Philoſophiæ partem hoc opus pertineat; ſed primum Philoſophiæ partes inueſtigare oportet. Tota Philoſophia, ut inquit Cicero, in tres partes eſt diſtributa. in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi facultatem, in uitam, atq; mores, quæ partes tribus animæ noſtræ facultatibus reſpondent, intellectui, rationi, & ſenſui. Nā quæ in cognitione rerum, ac naturæ explicatione poſita eſt, ad intellectum pertinet: eius enim ope abſtruſas, atq; abditas rerum cauſas inueſtigamus. Alteram, quæ in diſſerendo conſiſtit, ratio ſibi uendicat. Tertiam, quæ in delectu rerum expetendarum, & fugiendarum ſita eſt, ſenſus poſtulat. Tradit enim præcepta, quibus mores formantur, & animi perturbationes reguntur. Rurſus hæc pars, quæ de moribus eſt, in tres alias diducitur, in Aethicam, quæ ſui ipſius regimen docet: in Aeconomicam, quæ familiaris curam continet, & in Politicam, cuius eſt propria publiciarum rerum adminiſtratio. Nemini igitur dubium eſſe debet, opus hoc, ut tota ciuilibus facultas, ad moralem philoſophiam pertinere, omnesq; eius partes complecti, cum ea, quæ ad Priuatas, & ad domeſticas, & publicas rationes pertinent, legum ſcientia doceat. omnes enim omnium leges huc referuntur, huncq; ſcopum intuentur, ut ciues quàm optimos reddant, utq; eos mutua charitate deuinciant, deniq; ut quiſque ſua tueri poſſit. His præmiſſis quæ totius operis ſunt, aliqua dicenda uidentur, quæ ad huius tituli de Iuſtitia & Iure explicationem ſimul & ad legum inuentionem pertinent. Conſtat ius oẽ aut Natura, aut conſuetudine, aut legibus, quæ hominũ ſapientium iudicio ſacre inſtituta. ſatis per ſe fuiſſet ius naturale ſine conſuetudine, & lege ad uitam bene agendam, ſi homines naturam ducem ſequerentur. uerum cum ea, quæ iuſta, & reſta ſunt, multi quia hebetes ſunt, non intelligunt, plures improbitate impulſi diſſimulant, id circo ne peccantibus eſſet exculationi locus, ſcripta lex eſt, quæ quid agendum, quid ue fugiendum eſſet, perpetuis litterarum notis teſtatum, atque expreſſam ante oculos poneret. Nam quid aliud lex eſt, niſi quidam naturæ præco, qui eius mandato, ac imperio quæ faciendæ, quæ ue cauendæ ſint, clariffime ciuibus denuntiat? Neque aliud legumlatores fuiſſe credendum eſt, niſi Naturæ æditimos. Hinc tam celebres fuere Mercurius apud Aegyptios, Phoroneus apud Argiuos, Solon apud Athenieſes, Minos apud Creteſes, Zamolxis apud Scythas, Numa apud Romanos, Lycurgus apud Lacedæmonios, Gymnoſophiſtæ apud Indos, Druidæ apud Gallos, quòd ſuis ciuibus iura dedere, tanquàm naturæ ſidi interpretes. Neq; aliud legem eſſe putabimus (de ſcripta loquor) niſi determinationem quandam iuris naturalis. neque enim legis nomen meret, quæ penitus à natura recedit, ſed Tyrannidis potius, & Carnificinæ. Eſt legis appellatio duplex. nã ſuſiore ſignificatu lex dicitur quidquid naturalis, & diuina equitas dicitur, atque definit, eſtq; naturalis notitia quædam à Deo nobis inſita, ut æquum

ab iniquo

ab iniquo dijudicemus, quæ mens & ratio certa, & naturale ius, & regula seu norma iuris & iniuriæ solet appellari. ut testantur l. 1. & 2. ff. de legib. Hinc rectissime eos sensisse censuimus, qui legis inuentum ad Deum referunt, quod agnovit & Cicero in lib. 2. de legib. cum inquit. Hanc uideo sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenijs excogitatum, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod uniuersum regeret, imperandi, prohibendiq; sapientia: ita principium legem illam & ultimam esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut uetantis Dei. Et paulo post. Orta est autem lex simul cum mente diuina. quamobrem lex uera atq; princeps, apta ad iubendum & ad uetandum ratio est recta summi Iouis. Et rursus in orat. pro Milone. Est, inquit, hæc iudices non scripta, sed data lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. qua in sententia uidetis Ciceronem ad uocis etymon allusisse, legem. n. à legendo deductã, ait quia legumatores suas leges tabulis incisas æneis parieti affigebant, ut à populo legerentur, & si M. Varro à deligendo potius deductam asserit. nam cum penes populum ius sancienti esset, quod ab eo deligebatur, id lex erat quasi ex pluribus statuentis lecta. Hæc quæ est altera legis significatio, quæ arctius enim ac pressius sumpta est, quæ scripto sancit quod uult, aut iubendo, aut uetando, atque ita lex per omnes iuris libros sumitur. Eius definitio (sive descriptionem mauius appellare) extat in Tit. de leg. & senatusconf. lib. 3. D. ex Papiniano. Lex est commune præceptum uirorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte, uel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis reip. sponso. ubi quoq; asseruntur legis descriptiones & encomia ex Demosthene, & ex Chrysippo, quæ satietatis fugiendæ gratia prætermitto. satis est indicasse locum. Verum cum publicæ res ita cum priuata coereat, ut altera alterius ope indigeat, propterea leges latas fuisse constat, alias pro statu Reip. alias pro singulorum utilitate, unde duplex illud ius fluxit, Publicum, & Priuatum, quæ duo tãquam legum fundamenta Imperator iacit in huius operis limine. Rursus Publicum in duas partes est distributum, quarum una ad Religionem, altera ad res humanas pertinet, unde meritò Iustinianus iuris prudentiam asseruit esse rerum diuinarum atque humanarum notitiam. Neq; recte sensisse uidentur qui ius in tres partes diduxerunt, in Sacrum, Publicum, & Priuatum. Cum Sacrum sub Publico contineatur. Deniq; ius ipsum Priuatum neq; simplex existit, nam uel ciuilia continet negotia, uel crimina insectatur, suas illis penas instituendo. Hinc cuiq; patere arbitror iuris appellationem latissime patere. Nam uel id, quod semper bonum, & æquum est, ius dicitur, est ius naturale, uel quod omnibus, aut pluribus in qualibet ciuitate utile est, ut ius ciuile. interdum & locus, in quo ius redditur, iuris appellatione intelligitur Vlp. in l. pen. ff. de iust. & iure. unde etiam colligitur Prætoris sententiam licet iniquam, ius dici. Denique ius sumitur pro necessitudine, aut uinculo, ut est ius cognationis, uel affinitatis. ut est in lult. D. de iust. & iure. Iuri præterea multa addi solent uocabula: nã nunc dicitur ius Prætorium, quod Prætores introduxerunt, adiuuandi, uel supplèdi uel corrigendi iuris ciuilibus gratia propter publicam utilitatem, quod & Honorarium dicitur ad honorem, uel ob honorem prætorum sic appellatum. l. ius autem D. de iust. & iure. ius Posituum dicitur quasi ab hominibus positum ciuili quadã & politica argumentatione ad extendendum ius nature. ius solenne, quod & ius XII. Tabularum dici solet, & aliarum legum populi R. sunt & illa, ut ius strictum, quod idem est, quod summum: unde uulgò dici solet. Summum ius summa iniuria. Ius commune idem quod naturale. ius singulare quod constitutum est seorsum, & singillatim. ius commentitium, quod noue, & recens excogitatum est, quasi factitium, ius constitutum, quod placito quodam & consensu recipitur communiter. ius uetus, quod ab urbe condita

& RQ.

& Romuli tempore ad Iustiniani sæculum uenerat; ius nouum quod nec in scripta redactum est, nec consuetudine corroboratum. Ius militare, quod ad milites pertinet. Pluribus alijs adiectis insignitur ius apud iureconsultos: sed ad eos solertes Academici uos remitto. A iure ergo iustitiæ nomen effluxisse uidetur, quam ita dictam uolunt, quòd ius iustæ, ius uerò à iussu per apocopen. id enim ius est quod à legibus iubetur. Iustitiam ueteres Deam fecere, Ab Ouid. uirgo Astræa appellatur, cum ait.

Et uirgo cade madentes

Ultima caelestum terras Astræa reliquit.

Iustitiam Deam esse innuit Vlpianus lib. 1. inst. ff. de iust. & iure, cum asserat iureconsultos iustitiæ meritò sacerdotes appellari. Homerus magnam esse huius deæ uim asserit, in lib. xvj. eiusque præterea in iudicijs indignationem magnis terrarum cladibus expiari solere. Orpheus eandem Iouis folio assidentem facit, humanasq; actiones oculis perlustrantem. Hesiodus Iouis filiam facit Dijs cælestibus uenerandam, quam si quis obliquo indicio læserit, præterea statim apud Ionem patrem queribunda affidens humanarum mentium iniquitatem incusat. Suidas de ea loquens. Hesiodus, inquit, uirginem & incorruptam esse hanc Deam cum alio omni modo, tum cubili uenereo, significans ius nullo pacto deturpandum esse, non gratia, non libidine, non alia quauis causa. Chrysippus, ut refert Gellius, Iustitiæ imaginem effingi solitam à pictoribus ait forma, atq; filo uirginali, aspectu uehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, non humilis, neq; atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. qua imagine significari asserit, iudicem, qui iustitiæ est antistes, oportere esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem; contraq; improbos, noxiosque uiros immisericordem, inexorablem, erectumq; arduum, & potentem, ui & maiestate æquitatis, ueritatisq; terrificum. Hanc Græci *Δικη* appellant, ex eo, quod lites dirimat, unde & iudices litium diremptores *Δικασται* ab illis dicuntur. Eustathius in Homerum eandem esse *Δικη* & Themis existimat, sed Dice proprie est ea quæ rebus diiudicandis præest, Themis uerò auctore Festo ea Dea credita est, quæ hominibus sua deret id petere, quod fas esset. Quare hanc eandem existimabant, quod ius est, & fas. Quam etiam præfici existimauere oraculorum præsidem. Vnde oracula Themistes dicebantur, & apud Homerum *Δικαστῶν* idem est quod uaticinari, & oracula dare. Themidos oraculi meminit Ouid. Met. 1. Hinc institutum fuit apud ueteres, ut ad Themidis simulacrū concionaturi sederent, quòd Dea hæc admoneret honesta, iusta æqua que esse debere quæ dicere ac suadere quis publice uellet. Hesiodus quoq; Dicen Themidis filiam facit, asserit enim Themis tres filias peperisse Eunomiam, Dicen, & Irenem. Significat Themis legem illam æternam ac uniuersalem quam uelut editum perpetuum Deus mundo, ac rerum nature præscripsit. Ex hac Iupiter id est diuina mēs suscepit Eunomiam id est æquitatem, quæ ex boni ratione procedens utilitatem, ac bonam rebus qualitatem adducit. Dicen id est Iustitiam, quæ ex iusti ratione omnia distribuit. Irenem hoc est Pacem atq; concordiam ex pulchri ratione prouenientem, quæ rebus perfectionem atque ornamentum adijcit. Sed cum de Themis & eius filijs agat abunde Ioan. Bap. Rin. in Poetica Silua, nolo in hisce rebus diutius immorari. Explicauimus Academici, quæ ad Titulum pertinent, qui est de iustitia, & iure. Sed antequam iustitiæ definitionem aggrediar, scire oportet uoces istas Iustitiã, Iudiciũ, Æquitatem, & Ius, licet re eadem sint, ratione tamen ac considerandi modo differre. Nam iustitia rectam significat actionem, iudiciũ est discretio boni, & mali, Æquitas est potius mentis quædam restitudo, & quædam iuris remissio, ius uerò est ars ipsa æqui & boni ut ab Vlpiano definitur l. 1. ff. de iust. & iure. differt ius ab æquitate, quòd ius est inflexibile quoddam, ac immutabile. Æquitas aliquid de iure imminuit.

Vnde

Vnde Donatus in Teren. Ius est, inquit, quod omnia recta, & inflexibilia exigit, Aequitas est, quæ ex iure multum remittit. Sed an ius, æquum, & bonum sint eadem, ut Aristoteles asserit, an differant, ut Accursius scenset, pluribus explicat Budæus in principio Annotationum in lib. Pandectarum. Scitu quoque dignum, Iustitiam duplicem esse uel diuinam, uel humanam. Adhuc Humanam uel Vniuersalem, uel Particularem. Vniuersalis est, quæ omnes uirtutes complectitur, ex hac uiri boni nominatur, est hæc uirtutum mater, & cum omni uirtute concurrat. Particularis uero est una uirtutum à cæteris distincta, cuius munus est suum cuique tribuere. Adhuc hæc quæ particularis dicitur ab Aristotele, diuiditur in distributiuam, & commutatiuam, Prior quæ ab ipso appellatur *διανεμική*, pertinet ad præmia, & ad pœnas distribuendas pro meritorum ratione, Posterior, quæ *ἀλλοτριική* dicitur, uersatur circa contractus, & æqualium rerum permutationes, paresque compensationes. Definitur ergo hic Iustitia nõ Diuina, sed Humana, non Vniuersalis sed Particularis. Neque immeritò Imperator traditurus iuris scientiam ab ipsa exorditur Iustitia, tanquam matre, & à fonte quodam, à quo omnia iura ortum habent. Definitionis tres formæ assignantur à Cicero in Topicis, quarum una dicitur Essentialis, altera à partium enumeratione, Tertia à nota sine ab Etymologia. plures alias formas ponunt Dialectici, quas breuiter causa omitto. In omnibus, quæ tractantur primum locum definitio obtinet; eius. n. munus est, quid sit id, de quo agitur, ostendere quam breuissime, & inuolutæ rei notitiam definiendo aperire. Plenam uero & perfectam definitionem, quæ substantialis dicitur, consistere Arist. ait ex genere, & differentijs. neque in ea decet quidquam abesse, aut redundare. Talis mea quidem sententia est definitio Iustitiæ ab Imperatore assignata; habet enim suum genus, quod est uoluntas; habet differentias, constans, & perpetua: nam est uoluntas infirma, & non diuturna, addit ius suum cuique tribuens, id enim est iustitiæ proprium munus & tanquam insigne, per quod à cæteris uirtutibus secernitur. Estque assignata definitio ab effectu. complectiturque omnes partes iustitiæ, nam ius cuique tribuere complectitur pœnarum & præmiorum pro meritis distributiones. tum rerum commutationes, in quibus cauere oportet, ne cui fiat iniuria. Prudenter quoque uoluntatem iustitiæ genus apposuit. Nam hoc ipsum, quod iustum est, ita est iustum, si est uoluntarium, quæ de re uidentur est Arist. in Aethicis ubi agit de uoluntario. neque temere adiectum est, constans & perpetua, non enim satis est bis terue iuste agere, nullog; adhibito iudicio, sed perpetuò & constanter, Nec tantum iusta, sed iuste agere oportet, potest enim quispiam iusta agere uel aliqua coactus, qui non iuste agere dicitur, nam id ex uoluntate proficiscitur. Verum ut dubitationes aliquas breui diluam, (nam id temporis angustia facere cogunt) nolo quisquam perturbetur hac assignata definitione, cum Iustitia à Philosopheris definiatur esse habitus animi constanter & perpetuo uolentis ius suum cuique tribuere. Neque illud dubitationem moueat, quod in titulo Iustitiam iuri præposuerit, & si simpliciora sunt præponenda, nam Iustitia est iuris mater. Vlpian. quoque l. i. de Iust. & Iure. asserit à Iustitia ius dici. Sed dubitandi ansam præbet Vlpian. sententia asserentis ius à Iustitia esse appellatum, cum iuris nomen simplicius sit, quàm iustitiæ. nam ut à iure iustum ex Grammaticorum censura deductum est, sic à iusto Iustitia; dicitur. n. iustum quod in eo ius stat, Neque aliud ius esse uidetur, nisi quod ratio faciendum dicit, iustum uero quod iure & rationis præscripto sit. Iustitia denique uirtus, quæ id, quod iustum est, efficit. Præterea cum omne scibile sit prius ipsa scientia, ut testatur Arist. in Predicam. Ius cum tale sit, quæ de eo habetur notitia, eam posteriorem esse oportet, atqui sic se Iustitia habet, quæ est iuris intelligentia. Sed hanc ambiguitatem hoc pacto dilui posse existimo, Ius bifariam sumi posse, uel pro ratione iubente, quæ faciendæ


sunt,

sint, uel pro scientia, quæ de iure habetur, in qua significatione arbitror ab Vlpiano Iuris nocem sumptam esse, quod indicat & sequens definitio. Ius est ars æqui & boni. Vnde non inepte is asserit à Iustitia ius deduci, cum huius scientiæ studiosi Iustitiam in primis colant, ad eamque omnia sua dogmata referant. Vel dicendum Vlpianum rem ipsam potius spectasse, quàm uocem. deducitur enim ius à Iustitia, cum nihil aliud sit ius, nisi quod Iustitia præscribit. quæ uirtus est omnium nostrarum actionum moderatrix & magistra. Vnde non inepte Accursius Iustitiam uirtutem, Ius iustitiæ opus, Iuris prudentiam esse ipsius iuris scientiam asserit. quæ tria Vlpianus interdum confundit, & uno iuris nomine solet appellare. Sed uereor eruditissimi uiri, dum de Iustitia & de iure loquor, ne quid ipse iniuste, & præter omne ius agam, qui uos meis nugis tam temere detineam. Quamobrem ius ipsum postulat, ut finem dicendi faciam. Sentio me eruditis auribus uestris nimium fuisse molestum, & inter candidissimos cygnos tanquam importunum anserem obstrepuisse. Parcite quæso huic meæ audaciæ. Nam parentis optimi, & præceptoris, quem patris loco ueneror, & obsecro mandatis non parere, nefas esse putauit. Adhuc & profectus mei rationem hoc pacto reddere opus erat. Hortarer uos Academici ad leges capeffendas pluribus, nisi optime scirem de ea re ab OCTAVIO SAMMARCO adolescente eruditissimo luculentam habitam esse orationem: tum per uos ipsos ad earum studia magnopere inflammatos esse. Illud tamen non prætermittam. Ut Athenienses, & Romani suas leges æneis tabulis incidendas curarunt, quod diuturniores essent. Sic uos eas cordibus uestris tanquæ greis tabellis figendas statuatis: neque solum percipiendas, sed etiã diligentissime seruandas, ne id nobis iure obijci possit, quod quondam Atheniensibus quibus uitio datum fuisse legimus, quod scribendis magis, quàm obseruandis legibus operam darent, oportet enim primum animas, postea linguas esse eruditas. Legum enim scientia cum obseruantia coniuncta potest homines in summo honoris gradu collocare.

IOAN. BAP. RINAL. DIALOGVS.

In quo inducit Andriam & Dicen, id est Fortitudinem & Iustitiam Academicorum solertiam commendantes: ac cæteris gratias agentes.

ANDRIA DICE MERCVRIVS.

AN. VDISTIN' Dice, quæ de me, & de te dicta sunt hodie in Rinaldi Academia? DI. Audiui. Erudita quidem, & cognitione dignissima. AN. Adeamus ergo tam celebre gymnasium: primumque collat demus adolescentulos illos, qui de uirorum fortium, & illustrium nomothetarum laudibus tam erudite, & tam uenuste dixerunt: Deinde hortemur cæteros, ut eos imitari, ac subleuare in animam inducant, si à nobis gratiam inire expetant, eorumque honorum esse participes, quos optimus quisque beneficio nostro est assecutus. DI. Adeamus, æquum postulas. Fas. n. est ius suum cuique tribuere. neque quidquam tam necesse arbitror, quàm de alijs benemeritis suo premio affici, & optimo cuique suum reddi honorum. AN. Verum antequam eos adeamus, consiliu ineamus inter nos, quæ illis premia sint exhibenda. DI. Prudenter admones: in omnibus. n. negotijs priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. Quid igitur tribuendum censet CVRUIO illi Triario fortissimo ob sedulo nauatam operam in recensendis Lacedæmonum præclaris institutis?

AN.

AN. Nunquam mihi assuam Dice prudentissima, quod tuum est. DI. An non tunc sunt partes fortes uiros, quorum gestis tu presides, munere aliquo afficere? AN. Ita Sed quoniam munere quilibet ob res bene gestas sit honestandus, diiudicare, hoc tuum est. Propterea, quid illi dandum sit, te discernere oportet, idque totum tuo iudicio permitto, quae ut malos poena coerces; sic bonos praemio afficis. DI. Vera loqueris. Nam si qui pro patria fortiter se gesserit, si qui uirtute ceteris antecellere uisi sunt, eos corona aliqua, aut triumphali pompa honestandos censui, Idque uides florentissimas Resp. semper egisse. Sed huic Adolescenti non armillas, non equorum phaleras, non murales, neque uallares coronas exhibendas cenfeo: neque adeo triumphum aliquem, qualem Romani suis ducibus apparare solent, sed multo maiorem non solum eius, sed etiam patris sui uiri iustissimi meritis. AN. Quem igitur instruendum censet? DI. Caelestem. Idque non solum mea, sed omnium superiorum sententia. AN. Est id mihi tam gratum, quam quod gratissimum. Quid enim homini optabilius contingere potest, quam in caelis uitam agere? Optarem tamen aliquot annos in terris degeret, ut quod uirtutis suae specimen in tam tenera aetate exulit, id longius proferre posset. DI. Ita apud superos statutum uides, Neque fas est, quidquam praeter illorum sententiam optare. Quin uides idem praemium apparari. IOAN. ANDREAE eius patri uiro integritate, ac iustitia nulli secundo, idque ob fidem suo Regi caste, integreque seruata, & ob Remp. optime administrata, id ipsa a summo superum patre impetraui, ut optimus ille uir digna factis acciperet. Filium sequetur aliquot post annos, ut qui ad homines tutandos natus est, diutius prodesse possit. AN. Est & mihi IOAN. ANDREAS quam gratissimus: neque enim solum quae tractat, iuste agit, sed etiam admodum fortiter. Intrepido enim animo, quae ad eiuum commoda pertinet, gerit. Non enim uulgi rumores de recto rationis gradu defectunt, non potentiorum minae. Sed animo aegre est, quod tam cito filius hinc abripiendus sit, magnis enim & animi & corporis uiribus praeditus facile ad summum honoris gradum ascendet. DI. Quin bono sis animo: Permittam tibi adolescentem illum alterum, qui de Iustitia, & Iure tam concinne, tamque eleganter egit. Idque ei mercedis loco dandum cenfeo, ut te sequatur, te colat, & ueneretur, subque tuis auspicijs militans magnam gloriam consequatur, haud fecus ac TIBERIVS eius pater, cui aequae ac tu, non parum debere me fateor ob summam integritatem, ac singularem iustitiam, qui bus instructus artibus barbaras gentes domuit, bellicas res administrauit, exterarum, ac longinquas regiones adiit. ob easque res aliquot praemijs a suo Rege affectus, ac maioribus a me afficiendus iam maris, & uiarum, militiaeque laboribus defatigatus quiescit domi. AN. Immortales tibi gratias ago Dice suauissima, quod mihi pro CAESARE CAROLVM substituis. Fuere enim non minus mihi grati principes hoc nomine, quam illo insignes. Video adolescentem hunc & summo ingenio praeditum, & singulari uirtute. Quamobrem non dubito, quin ad paternam gloriam sit aliquid allaturus, ut tanto patre dignus ab omnibus habeatur. Sed quando recreasti me, adeamus Academicos, eosque salutemus. DI. Sed innectamus primum ego ex hac palma, tu ex illa olea corollas, quas nostris adolescentulis demus: sunt ambae Apollini sacrae. AN. Recte mones. quin ego accingor operi. DI. Dentur haec modò, quae sint illis suarum uirtutum insignia. AN. Aptissima sunt quidem ad eorum uirtutes indicandas. Olympionicis haec dari solet. DI. hac iustorum uirorum cinguntur tempora. AN. Iam mea recte habet. DI. Iam & mea. AN. Quin tu summo etiam hanc, tuumque sit manus utranque distribuere. D. Quando ita uis, faciam. DI. Eamus ergo. Sed Mercurius est ante hostium. Salue Maia genite. MER. Felices adeste Iouis & Martis filiae celeberrimae, car hic uos hodie uideo? DI. Fac haec nobis pateant fores, salutaturae aduenimus Academicos tuos adolescentes eruditissimos, tum praemijs affecturæ eos, qui

qui de meis, & Andriae laudibus peruenisse dixere. MER. Equidem non mediocri perfundor laetitia, cum meis affectis tantum honorem a uobis uideam exhiberi. Quid enim maius, quid optatius contingere poterat, quam tam ueneranda numina ad eos accedere, eorumque; studijs fauere? Sequimini, iam patet aditus. Plaudite Academicis, Vosque omnes uiri nobilissimi. En ad uos quam benigne accedunt uirtutis Duces praecipue DICE, & ANDRIA. quarum altera iuste, altera fortiter rebus gestis praestitit. DI. Saluere adolescentes suauissimi, ceterique omnes legum cultores integerrimi, equitissimi, magnanimi. Commendaturæ primum uenimus, Academicis, uestram solertiam, sumumque in bonis artibus studium. Corollas haec nunc damus oleaginam, & Palmarum. Iustis haec, fortibus illa conuenit. harum igitur altera cinget caput, qui de Fortitudine apte dixit, altera qui de Iustitia. Sed maiora uobis expectanda ducite, si qua ingredi incepistis uia, ea uos non defatigarit. Nunc uero haec sint prima uestrorum insignia laborum, quos honestis in rebus tam alacriter suscepistis. Quare pergitte, ut facitis, Pietatem colite, quaeque iusta sunt, expetite, & agite. Date operam ut appetitus pareat rationi, quam si ducem sequemini, nunquam aberrabit. seruare ritus patrios: legibus obtemperate. Parentibus morem gerite. Consulite recte. Prospicite caute: uires, ingeniumque; metiamini in omnibus rebus agendis: arcete mentes a prauis cogitationibus: tribuite cuique pro dignitate: caueat turpia, atque indecora: iniuriam nemini inferatis: superbiam, fastumque abijcite: in cunctis rebus modum retinete: in optimis artibus animos excolite, scientes si quis aduersus haec fecerit, huic Deum iratum fore, si quis optime seruarit, in caelo beatam uitam esse acturum. Haec mea praecipua si seraueritis comites semper aderunt Religio, Pietas, Clementia, Beneficentia, Concordia, Humanitas, Innocentia, Hospitalitas, Honestas, Placabilitas, ois denique praclarissimarum uirtutum chorus: quae uos in honestis appetendis, & iusta agendis continebunt. Ipsa dux semper adero, daboque operam, ut optimo cuique pateat aditus ad maximos honoris gradus. Sine me nihil esse potest laudabile, nihil honestum, nihil iustum. ANDR. Nec minus & ipsa, quantum in me situm est, hortari uos desinam, atque admonere, oportere omnes Fortitudinem amplecti: omnesque animi motus cohibere: posthabere mortem decori: externa contemnerere: aduersa non solum constanter ferre, sed etiam ferendo superare: Magna semper appetere; humilia despicerere: dolore non deijci: secundis rebus non efferri: cupiditatibus obsistere: frænare libidines: spernere uoluptates: iracundiam tenere, nihil, praeter uirtutem, admirari: diuitias, opes, dignitates, quaeque alij uehementer expetunt, ea contemnerere, ac pro nihilo habere. His artibus ad gloriam aditus patet. Hac uia permulti illustres uiri incesse. Hac si uos ingrediemini, comites aderunt fulgentissimae uirtutes omnes, & praesertim Tolerantia, Patientia, ac Firmitas; quae omnia, quaecumque acciderint, patienter uos ferre docebunt. Adstabit animi magnitudo, quae nihil humile, nihil obiectum agi permittet. Aderit Fidentia, quae uires, animumque suggeret. Praesto aderunt Confirmatio, & Generositas, ne malis succumbatis; neue quidquam praeter laudem, & decus expetatis. Aspirabunt denique cautio, atque constantia, quarum altera nihil temere aggrediendum esse docebit, altera in recte ac fortiter agendo firmabit. Non deerit contentio, quae omni animi impetu ad praecleara peragenda contendendum esse uos instruet. Vos appello equites honestissimi, qui hic hodie fortium uirorum, necnon & mulierum Illustria facta audistis, facite, ut ea uestris exemplis comprobetis, ut adolescentes isti ea intuentes, aspicient semper ad gloriam, neque aliud sibi expetendum esse statuunt, nisi laudem, atque honestatem. Illud uobis confirmo, nunquam esse me uestris inceptis defuturam. DI. Nec minus uos ipsa appello lurre consulti eruditissimi, quae uestris consilijs, actionibusque praesum, Incumbite, ut facitis, in legum studia, quaeque aequa sunt, statuete, atque in eiusmodi artibus iuuentutem benigne erudiendam suscipite. Denique

ab omnibus etiam atque etiam peto, & queso, si qua non modò humana, sed etiam diuina in eiusmodi rebus commendatio debet esse: ut hos adolescentes uestros ciues, eorumq; præsidem, qui res uestras monumentis aliquot sunt ornaturi, qui æternum testimonium laudum se duros profiterentur; sic in uestram accipiatis fidem, sic uestris instruatibus consilijs, opibusque subleuetis, ut quam de se expectationem concitarunt, hanc sustinere, & ad optatam metam perducere ualeant. Iam ad superos nos redire oportet, Vos ualete nostrorum præceptorum memores. MER. Ipse quoque uos comitabor. Academici ualete. Vosq; equites ornatissimi, iuris prudentia, & militari disciplina præstantes & ualete, & plaudite.

OCTAVIUS LAVREN-

TIVS IOAN. IACOBI CIVIS OPTIMI F.

Cum aliqua de Historia explicanda essent,
His uerbis præfatus est.

ANTEPILANVS:



VDIERAT Dionysius Sicilia Tyrannus magnopere celebrari in sculum quoddam Laconicum: is propterea ex ea regione accersito coquo, cum ius illud gustasset, insuauem esse affirmavit: Tum is, qui illud apparauerat, asseruit sibi condimenta defuisse; quæ uerò ea essent interroganti Dionysio, respondit ille. Labor in uenatu, sudor, cursus ab Eurota, sitis, fames. Hæc sunt, inquit, aromata, quibus Lacedæmonij epulas condiunt. Et uerè hæc inquit, optimum enim, ut scitis, condimentum est fames. Rectè Socrates cum usque ad uesperum contentius ambularet, quæsitumque ex eo esset, quare id faceret, respondisse fertur, quòd melius caneret, obsonare ambulando famem. Et ut cibi condimentum est fames: sic potionis sitis. Darius in fuga cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibisset, negauit unquam se bibisse iucundius; nunquam uidelicet sitiens biberat. Sic & Ptolomæo peragranti Aegyptum comitibus non consecutus, cum cibus in casa panis datus esset, nihil uisum est illo pane iucundius, quia scilicet uenatu, aut itinere se defatigarat. Iuscula huc usq; Lacedæmoniorum gustatis Academici solertissimi, hoc est leuia quædam non multò parta ac condita labore. Propterea apponentur hodie epulæ omnium iudicio suauissimæ, multis laborum ac sudorum condimentis refertæ. Eritq; pulcherrimus apparatus ferulorum, quæ in conficiendo historia consistunt. Scitis enim præstantium Heroum gesta non sine maximis laboribus, arumnis, ac periculis perfici posse. Nihil enim præclari sine magno labore uita dedit mortalibus. Eiusmodi rerum narrationes exhibet Historia, quæ ut omnibus perspicuum esse arbitror, continet causarum, consiliorum, apparatusum, morumq; eorum, qui bellum administrant, uirium denique explicationes; tum regionum, urbium, fluminum, siluarum, montium descriptiones, rerumque omnium, quæ

quæ memoratu digna existimantur. Hæc eadem mira suauitate recenset casus, euentus pugnas, cædes, insidias, pericula, stratagemmata, urbium obsidiones, oppugnationes expugnationesq; feruitutes, mortes, uictorias, triumphos. Hæc ante oculos proponit quid prudenter, quid iuste, quid piè, quid castè, quid humaniter, quid magnificè dictam, factum uè fuerit, unde omnium uirtutum clarissima depromuntur exempla. Atq; ut Cosmographia in exigua sphaera cælestes orbis nobis effingit, & breuibus tabellis globum terræ, regionumq; situm, effigiem, faciemq; spectandam exhibet: sic historia rerum in terræ facie gestarum quandam quasi expressam imaginem delineat, quam comitatur quædam *ὑποτιπλοῖς*, siue *παραπλοῖς*, quæ hominum mentes ita afficit, ut in ijs locis uersari uideantur, ubi quippiam gestum sit. Cum igitur Historia belularia quædam sint, ut Plutarchus asserit, quòd eiusmodi delicijs sua conuiuia præsci condirent: accumbite libentissime auditores celeberrimi expectantes fercula suauissima maximis parta laboribus. Ea spero multò uobis fore iucundiora, quàm sua Lacedæmonijs iuscula. Et si hæc quoq; iniucunda uidebuntur (lautissimis enim epulis alio lent animi uestri) addantur fames, & sitis optima epularum condimenta.

HORATIUS SVARDVS PAULI EQVITIS CLARISS. F.

De Historiæ nomine hanc habuit lectionem.

CORNICVLARIVS.

RAECEPTORES omnès, qui ad honeste uitam agendam ceteros adhortantur uirtutis formæ, & quæ ex illius studio præmia, uoluptatesq; percipiuntur, ante oculos proponunt: contra cum à sceleribus dehortantur, in honestæ uitæ turpitudinem, tum quæ damna, quæ supplicia facinorosos homines maneant, solent explicare. Est munus hoc tum Philosophorum, tum Poetarum, denique Historicorum, qui uarijs itineribus, ac rationibus ad eundem terminum rudes homines perducere student. Verissimis præceptis, simplicibusque uerbis innituntur Sapientiæ proceres, ut qui ueritatem præcipue colunt, & qui ad rationis normam omnia redigunt. Idem conantur Poetæ sed fabularum inuolucris, fucatisque uerbis, ut qui non solum prodesse, sed etiam delectare expetunt, & qui numerorum dulci concentu adolescentium animos allicientes quasi ludentes ad capeffendam uirtutem suauissime ducunt. At clarissimis exemplis, quæ faciendæ sunt, probant Historia auctores. Nihil enim est, quod tam alios ad aliquid peragendum impellat, quàm ceterorum exempla. Dum enim historici quædam extollunt, quædam deprimunt; dum alia admirantur, alia contemnunt, dumque modò humanos rident casus, modò deplorant; dum fortunæ temeritatem accusant, uirtutis uerò constantiam miris prosequuntur laudibus; clarissime ostendunt, nihil esse in uita magnopere expetendum, nisi laudem, atque honestatem, periculaque omnia, & mortis atque exilij contemnenda esse, ut ueram gloriam, ac felicitatem consequi ualeamus. Utiles est Poetice, & si figmentis, & quasi aliud agens ad uirtutis erudiat iuuentatem, utilior Philosophia, quæ ad idem ueritatis munere adhortatur: utriusque tamen longe mea quidem sententia præferenda historia est; prudentissima uitæ magistra, ueræque felicitatis dux fidelissima. Qui poetarum carmina legunt, ij falli solent interdum uerborum suauitate, & fabularum lenocinijs allecti, ac delinuti, cum quid illi præcipiant, non animaduertant. Qui Philosophorū euoluunt dogmata, ea sepe ut aspera, ut difficilia respuunt, detrectantque. At in historia nulla est excusatio,

neq; enim quidquam in ea præcipitur, quin confirmetur exemplo. Docet enim quæ maiores nostri iuste, fortiter, continenter, moderate, ac magnifice egerunt, ea nos quoq; facere posse. Quare omnem præripit excusationem. Cum igitur tanta sit Historiæ utilitas, ut eius lectio ceteris sit præponenda, cumq; multa de eius compositione, & laudibus hic hodie dicenda sint, mihi mandatum fuit, ut explicarem, quid sit Historia, unde eius uox deducta: quid ab Annalib. differat, & à commentarijs: unde in ceperit: qui historiæ finis: ad quem pertineat Historiæ compositio. Denique si per tempus licebit quid in ea seruandum, quid uè fugiendum, ut optime componi possit. Video me maiori oneratum fati cina, ac humeri ferre ualent, subleuate uos v. hum. iter facientem, ut ad optatam metam liceat peruenire.

Historiam Cicero nunc Publicam memoriam appellat, nunc rerum ueterum memoriam, modò commemorationem antiquitatis, modò monumeta rerum ueterum, temporū, locorum, hominum, rerumq; gestarum. Deniq; omnium seculorum memoriam. Idemq; eam laudans appellat testem temporum, lucem ueritatis, uitam memoriæ, magistram uitæ, nuntiam uetustatis. Historiæ uerò scriptor æ eodem dici solet Historicus; rerum pronuntiator, & rerum explicator. Plato sic dictam arbitrat, quod ἱστορίας id est, quod sistat fluxum, & ipsum μνήμη id est credendum, ἵστορίαν enim si mare signat. est enim historiæ proprium sistere, ac cohibere gestarum rerum memoriam, quæ temporis iniuria deficeret, nisi eius uirtus illius damna repararet. Seruius arbitrat ita dictam ἀπό τῆς ἱστορίας id est à uidendo, quod historia proprie sit temporū quæ uidimus, uel uidere potuimus. Sed sciendum est, ἱστορίαν apud Græcos non solum inspicere significare, sed etiam scriptum relinquere, & memoriæ prodere, sic etiam ἱστορίαν narrationem, cognitionem, disciplinam, descriptionem, contemplationem, & commentationem inuere, in qua significatione inscripti sunt libri Aristotelis de Historia animalium, Theophrasti de Historia plantarū, & Plinij de naturali historia. Definitur à Rectorices auctore. Historia est res gesta, sed ab atatis nostræ memoria remota. quæ definitio uidetur imperfecta: non enim omnes definiti partes cōplectitur: nam sic non esset historia narratio rerum, quæ nostræ atate essent gestæ, propterea magis consentanea uidetur ea esse sententia, quæ asserit Historiam esse narrationem rerum gestarum, ut gestæ sunt, uel memoriam rerum humanarum, uel memoriam publicarum, & priuatarum actionum. In historiæ appellatione cōtinentur Annales, Chronica, Commentarij, Diaria, & Itineraria: sunt Annales res gestæ, quæ de anno in annum in historias rediguntur, nostriq; tēporis esse possunt. Hinc Cicero ait nihil aliud esse historiam, quàm Annaliam cōfectionem. & Gellius Recte, inquit, Annales historias appellaueris, sed non continuo quidquid historia fuerit, annales appellare possis: sunt enim utraq; rerum gestarum narratio. Sed earum proprie sit historia, quibus gerendis interfuit is, qui narret: Annales uerò cum res gestæ plurium annorum, seruato cuiusq; anni ordine, memoriæ traduntur. Cum autem nō per annos, sed per dies singulos res gestæ scribuntur, Diarium uocatur. Præterea historia non solum res gestas longo ordine explicat, sed etiam consilia, quibus gestæ sunt, ponit, & conciones facit, & acies instruit, situs locorum describit. Annales uerò singulorum annorum gesta quàm breuissime notant. Vnde Annales Pisonis, & Sallustij historias dicimus, Annales Cicero Monumenta uetustatis appellat. Græci ἱστορίαν. Quid uerò essent Annales Maximi, dicemus infra. Annales Virg. appellauit narrationes rerum gestarum, quibus interfuit is, qui eas narret, ut ibi.

Et uacet annales nostrorum audire laborum.

Chronica uerò, ut uox ipsa indicat, non tam singulorum annorum, quàm temporum res gestas uidentur significare, & si cum annalibus idem sonare interdum solent: inde chronici dicuntur; qui chronica cōscribunt. Commentarij significant libros, in quibus

quibus non late, diffuseq; res, sed quàm breuissime id fieri potest, explicantur, simpliciq; oratione, & quasi per capita describuntur. Sic Cæsaris Commentarij dicuntur, in quibus res ab eo in Gallia gestæ & bello ciuili non abunde narrantur, sed ueluti perstringuntur. Hos Plutar. ἐπιμνηστικὰς appellat. quæ uox à comminiscor uidetur deducta: ideo quidquid memoriæ tantum gratia conficimus breuiter, ubi capita & summas rerum adnotamus, commentarij recte dici possunt. Itineraria, uerò esse commentarios earum rerum, quæ in itinere acciderunt, clare uox ipsa indicat. Sed iam historiæ me ortus ad se reuocat. Sunt qui asserant eam primò incepisse scribi in Aegypto: sed non de hominum gestis, uerum de Nili excretionibus. Nam cum hi, qui Memphim Aegypti præcipuam urbem incolebant, in media urbe magnificam columnam crexissent, quam Niloscopium appellabant, in ea solebant inscalpere, quot ulnas excreuisset Nilus, simulq; notabant ex ea re famis, & annonæ progressum ad seruandam memoriam Niliacæ irrigationis. Hoc exemplo eosdem ductos aiunt illustrium uiuorum facta memoriæ prodere incepisse. Sunt qui id referant ad Olyridis tempora, cuius gesta Aegyptij in columnis incidere soliti fuere. Plato in Timeo inducit senem sacerdotem quendam Aegyptium cum Solone loquentem Aegyptiorum scientiam extollentem, eosq; solos asserentem habere præteritarum rerum memoriæ: Græcos uerò, cæterosq; tanquam pueros existere, quòd in illis nulla esset uetustatis commemoratio, nulla cana scientia. Quòd si quis Mosen primum omnium antiquissimum scriptorem protulerit, ut Eusebius, eum non magnopere falli existimo; Neq; enim Plinio credendum censeo, qui Cadmum Milesum primum historiæ scriptorem celebrat, siue qui Pherecydem, cum hi multò post Mosen extiterint. Neq; igitur quosdam Historiæ ortum ad Noam referre, cum asserant, eum ex arca egressum post magnam illà eluuiem omnia, & contigerant, in lapide quodam designasse. Sunt qui asserant Adami filios lapideas, & lateritias columnas crexisse, in quibus ea inscalpsere, quæ de futura mundi ruina, seu astrorū peritia, seu diuino spiritu afflati præuiderant, propterea ad illa tempora historiæ ortum referendum putant. Horum sententia probabilior cæteris uidetur, cum ea nulla antiquior existat. Quamobrem non inepte Ionianus Pontanus ad naturam ipsam historiæ initium deferendum putat, quando insitum est homini studium propagandi res suas ad posterum cum natua quadam cupiditate efficiendi memoriam sui quàm maximè diuturnam. In Italia historiam Sapientum tempore incepisse testatur Macrobius, cum inquit, Tritonas cum buccinis fastigio Saturni ædis superpositos fuisse, quoniam ab eius commemoratione ad nostram atatem historia elata, & quasi uocalis est: ante uerò muta, obscura, & incognita, quod testantur caudæ tritonum humi mersæ & absconditæ. Apud Romanos morem fuisse scribit Cicero memoriæ publicæ retinendæ causa ab initio rerum Romanarum usq; ad P. Mutium, ut Pontifex Max. res omnes singulorum annorum mandaret litteris, efferretq; in album, & proponeret tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: quarū rerum cōfectio Annales maximi nominabantur. Quam similitudinem scribendi idē ait multos postea secutos esse, qui sine ullis ornamentis monumeta solum temporum, hominum, locorum, gestarumq; rerum reliquerunt. Eoq; in numero fuisse Catonē, Fabium, Pisonem qui nulla historiæ ornamenta cognouere. Insequentibus uerò temporibus Antipatrum Craffi familiarem historiæ aliqua ornamenta addidisse: sed neq; eā distinxisse uarietate locorum, neq; uerborum collocatione, & tractu orationis leni, & æquabili perpoliuisse. Eam postea illustratam fuisse constat à Sallustio, & à Lino, quorū scripta declarant, quibus ornamentis distinguenda sit historia. Apud Græcos inuenimus Herodotū primum hoc genus ornasse, in eaq; consicienda magnā adhibuisse diligentiam: quamobrem historiæ pater & habitus, & appellatus est, quæ postea insculpta sunt Thucydides, Philistus, Theopompus, Ephorus, Xenophon Socraticus, Callisthenes,

Alexandri comēs . Deinde Timaeus longe eruditissimus, & rerum copia, & sententiarum uarietate refertus . Sed antequam reliqua à me propofita abfoluam, non ingratum fore arbitror, fi explicauero quibus in rebus Historia cum Poetice conueniat, tum quibus in rebus altera ab altera differat . Conueniunt inter fe, quòd utraque præclara fortium uirorum narrat facinora . Vtraq; populorum, gentium, regionum describit fitus, mores, leges, confuetudines, instituta; utraq; uitia inſectatur, uirtutes laudibus effert, utraq; bellorum initia, cauſas, confilia, apparatus, prælia, cædes, uictorias, triumphosq; recenſet. Vtraq; apponit conciones tam demonſtratiui, quàm deliberatiui generis, quibus tanquam gemmis utriusq; apparatus exornatur . Sunt quoq; in utraq; amplificaciones, digreſſiones, exornationes, quæ tanquam lumina eas illuſtrant . Amat utraq; uarietatem, ſtudet mouere affectus, ſequiturq; ſuum in qualibet materia decorum . Nec minus Historia quàm Poetice conatur docere, delectare, & mouere . Prætermitto dicendi figuras, & poeticos numeros, quas res Historia plerunq; adhibet. Vnde quidam arbitrati ſunt Historiam eſſe quaſi ſolutam poeticen . Differunt tamen, quòd Historia res ut geſtæ ſunt, narrat, Poëſis uerò tota in imitatione poſita eſt, narratque res, ut geri potuiſſent. qua ex re inſertit. Poëſim historia eſſe præſtantiore . Nihil enim fingit Historia, nihil immutat, ſed tantum narrat id, quod factum eſt: tum quia non unam actionem narrat, ſed plures, & ſi interdum unam exequitur: ut cum Salluſtius deſcribit Catilinæ coniurationem, aut Iugurtæ bellum . Poëtam uerò ſemper unam tantum decet actionem imitari non plures, eamq; pro ingenij uiribus mutare, augere, minuere, exornare, amplificare, narrareq; demum potius ut agi debuerit, quàm ut acta ſit . In altera non licet à ueritate deſectere, in altera mira eſt libertas quidquid libitum fuerit effingendi . Nullius enim arbitrio ſubiecta eſt . Præterea ſurore agitur poëta, & à Muſis pendet, quarum numine afflatus ſue equos alatos currui ſubiungere uoluerit, ſue alios ſuper aquam aut per ſummas ariſtas currentes fingere, nemo uetat . Vocem quoq; rebus mutis dare, Deos mortalibus affectionibus ſubijcere, & ſi quem laudare uoluerit, nemo prohibet quin eum Deo ſimilem faciat, quæ ſi historia adhiberet, in adulationem migraret . decet enim laudum exceſſus ab ea abeſſe, haud fecus ac ſucos, & fabulas, quæ Poëtes ſunt propria . Nec minus in numeris, in uerbis, atque ſententijs altera caſtigatior eſt, altera liberior . Ordo quoq; aliquod diſcrimen inter eas affert, cum altera naturæ ordinem ſequens res eodem pacto narrat, ac geſta ſunt: altera à medijs interdum ac penè ab ultimis narrandi exordium capit, perſonasq; pro rei ipſius natura aſſumit extrinſecus ut Deorum, Nympharum, numinumq; aliorum, uatumq; furentium . Nunc uerò reliquum eſt, ut dicamus quis nam ſit Historiæ finis, & cuius officium eã ſcribere . Sant qui cenſeant vt Poëſeos proprium munus eſt ſuis numeris, & fabulis delectare, ſic Historiæ præcipuum rebus geſtis recenſendis omnibus prodeſſe . & ſi utraq; & prodeſſe, & delectare ſtudeat . Utilitatem eſſe proprium Historiæ finem ex ea re probat Lucianus, quòd ea ueritati innititur, ex qua ſola conciliatur utilitas. Sicut qui ad tria Historiam putent ſpectare ad honeſtum, utile, & iucundum . Nam cum ipſa humanarum actionum ſit memoria, res uerò humanæ ad hæc tria ſpectent, ad eadem Historiam referri poſſe arbitrantur: ſed hi longe mea quidem ſententia falluntur, nam unius rei unicuique ſinem ſtatuerè oportet . Hæc autem quæ dicta ſunt, media potius ac instrumenta ad historiæ confectionem apte perficiendam neceſſaria ſunt exiſtimanda . Propterea longè aliqua mihi repetenda ſunt, ut de Historiæ fine quid ipſe ſentiam, afferre poſſim . Illud patere arbitror, omnes homines id uehementer expectere, & ad id ſummo ſtudio contendere, ut ſint, ut bene, ut ſemper: quæ tria, ſi libet, ſimul connecti poſſunt; ut bene ſemper ſint, qua in re humana conſiſtit felicitas. Hoc illud eſt bonum, quod natura omnes appetunt, quòd uerò ut aſſequi poſſimus,

duæ

duæ uiæ ad id nos ducunt . Leges, & mores . Sed ut ſciamus quæ leges, qui nè mores poſſint homines, ac ciuitates feliciffimas reddere, triplici ratione id fieri poſſe conperiemus, uel uniuerſalium rerum cognitione, in qua Philoſophi uerſantur, uel ſingularium, ut qui ciuilem uitam degunt, uel in utrarumq; rerum inueſtigatione, quales ſunt, qui & contemplandi & agendi munera obeunt . Harum rerum cognitionem tribus modis poteſt ſibi quisq; comparare, aut à multis audiendo, aut plures regiones obeundo, ut de Vlyſſe fingit Homerus: aut Historias de humanis rebus conſcriptas legendo, quod poſtremum longe utiliſſimum arbitror: nam in Historia antiquiſſimorum & ueterum hominum & maiorum noſtrorum præclare geſta, tum noſtræ tæpeſtatis ducum fortia facta tanquam in ſpeculo licet inſpicere: neq; ſolum quæ in noſtris & propinquis, ſed etiam quæ in alienis, & longinquis regionibus peracta ſunt, quibus ex rebus innumerabilia exempla haurientes, quæq; ab alijs ſapienter dicta, aut præclare geſta ſunt, ea cognoscere poſſumus, quæ ad uitam optime agendum ſpectant . Quod ſi ita eſt, ſi hæc historia perficit, quis non uidet Felicitatem eſſe præcipuum Historiæ finem . Hiſtorici uerò munus eſſe, ex ijs, quæ contingere, homines ad bene beateq; uitam agendam inſtituere, ac erudire. Verum eſt illud poëtae.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Huius ſinem & ſi Moralis Philoſophus quoq; intuetur, neminem id mouere debet, diuerſa enim ratione hunc ſpectat Historicus, nam quæ ille præceptis, ac regulis tradendis docet, hic eadem exemplis confirmat. Præcipit. n. Philoſophia quid recte agendum ſit: Historia uerò quid recte factum ſit, recenſet . Quis enim paupertatis moleſtias æquo animo ferret, quod Philoſophus præcipit, niſi id Curium, Fabricium, Coruncanum, cæterosq; factiſſe Historia comprobaret? Quem iniuriarum obliuio caperet, niſi in Cæſarem id libenter egiffe Historia cõfirmaret? Quis fidem etiam hoſtibus ſeruandam crederet, niſi id Attilij uirtus teſtaretur? Nam quis ignorat multò facilius eſſe de uirtute agere, quàm agere cum uirtute? Maximam igitur ex Historia fructum percipi poſſe, ſatis ex his, quæ diximus cuiq; perſpicuum eſſe poteſt. non enim parui momenti illud eſſe putandum eſt, quod ad felicitatem ducit. Jam poſtremum me uocat labor, cuius nã ſit Historiam conſcribere. Sed prius quàm id arduum ſit. Non n. minus difficile mihi uidetur Historiam conſcribere, quam præclara, & memorata digna perficere . Miram habet Historia uarietatem: Eſt enim uel opinionum, uel diſtorum, uel factorum, ad quæ tria capita totum eius negotium referri poteſt. Opiniones enim reſpicit, cum quid de religione uarijſenſerint, recenſet, aut cum de Philoſophorum placitis tractat. Diſta continet, cum ſapientium uirorum prouerbia, ſales, facetias, apophthegmata, reliquaq; eiſmodi explicat. Facta recenſet, cum illuſtrium uirorum geſta deſcribit . Modò preſſiore poſtulat historia narrationem, modò pro rei qualitate uberioſiorem. In priori floruit apud Græcos Thucydides, quem Cicero ait omnes dicendi artificio ſuperaffe, & ita reſertum eſſe rerum frequentia, ut uerborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur: ita uerbis aptè & preſſum, ut neſcias utrum res oratione, an uerba ſententijs illuſtrentur. Apud Latinos eſt Salluſtius breuitate inſignis. In poſteriori genere floruit apud Græcos Xenophon, apud Latinos Liuius, quorum alter ob ſermonis ſuauiſſimam Attica muſa dictus eſt, alterum Laetio fonte reuadantem appellauit D. Hieronymus. Conſiſtit maxima ac præcipua Historiæ difficultas in rebus ipſis: nã uel antiqua ſcribimus, in quibus præter ea, quæ ignorantur, mira exiſtit uarietas: & interdum contraria à cæteris afferuntur. Difficultatē quoq; augent tempora, cum quid quo tempore geſtū ſit, non facile ſciri poſſit: tum etiã loca, ubi res geſtæ ſunt; His. n. duabus rebus tanquam cruribus nititur Historia, tēpo re ſcilicet, & loco. Eandē augent & gentes illæ, quæ ſua facta ſcribentes, ea miris laudibus extulere, ut aliorum geſtis ſua præponerent. Veteres quoq; multa de ſuis originibus

nibus finire, ut eas redderent illustres. Huius rei testes sunt Græci, qui per multa de se ipsis duce Orpheo fabulati sunt. is enim ex Aegypto rediens multa Aegyptiorum facta ad Græcos transtulit, finxit enim plurima de Græcorum Thebis, & de Hercule, quæ ipse acceperat de Thebis Aegypti urbe præclarissima, & de Oro Aegyptiorum duce præstantissimo. Quamobrem iure Græcia mendax appellata est. Sed nihil magis Historiæ difficultatem auget, quam ueterum scripturarum uarietas, ex quibus uerum elicere nisi Deus possit. Vel quæ nostris gesta sunt temporibus, Historia persequitur; At eam subito ueritatis explicandæ difficultas aggreditur. tum timor, ne quid aduersus principes dicatur: tum adulatio, ne nimium dicatur. Sin ad ea, quæ in Historia tractantur, respicere uoluerimus, & quo scribendi genere uti oporteat, quis non uidet, quam arduum sit rerum causas euoluere, antiquam memoriam reuocare, consilia, apparatus recensere, acies instruere, casus, prælia, cædes, uictorias memorare, præclara extollere, crudeliter, aut timide facta deprimere, eorumque gesta sunt, ordinem seruare, loca, gentes, gentium mores, leges, instituta describere, conciones adhibere, permultaq; alia enarrare, eaq; decenti stylo conscribere, quem decet esse fultum, lenem, æquabiliter incedentem, atq; perspicuum: neq; ita compressum, ut inops uideatur, & languens: neq; admodum amplum, ut intumescat oratio, neq; talem ut incedat muliebri gressu ac petulanti; sed uirili, & graui. Quamobrem recte Cicero (ut id absolui quod pollicitus eram) Historiæ compositionem ad oratorem defert. Per multa enim ornamenta adhibet Historia, quæ nisi ab eloquentiæ facultate sibi deprompserit, nemini dubium est, inanem, & inutilem esse futuram. Quæ omnia quomodo seruanda sint, scio ea pluribus esse persecuturum FABIVM ALOES in primis eruditum, & in euoluenda Historia diligentissimum. Quamobrè huic megectioni finem ut imponam, iam tempus admonet. Idq; libenter faciam: sed tria tantum Aristotelis problemata ad Historiam pertinentia recitare non erit inutile. quæ ut melius percipi possint, illud præmittam. Historiam uel esse uniuersalem, id est de toto orbe, uel de toto uno imperio, uel maiorem, hoc est de pluribus nationibus, uel minorem, hoc est de una, & simplici actione, una enim est, quæ habet partes, simplex uerò, quæ non habet. Vel esse de illustrium uirorum uitis, qualis Snetonij, & Plutarchi. aut de uarijs actionibus, qualis Valerij Max. Quærit igitur Aristoteles, cur libentius eas historias audimus, quæ rem unam exponunt, quam quæ plures? An quod rebus magis attentius sumus notioribus, easq; libentius audimus; Notius autem est, quod definitum: unum itaque finitum est: plura autem infinito participant. Alteram quod Arist. quærit est, cur nos rerum narratio oblectat, quæ nec nimium ueteres sunt, nec admodum nouæ? An quod rebus admodum longinquis diffidere solemus: quibus uerò diffidimus, nunquam oblectamur. At quæ noua admodum sunt, adhuc quasi sentimus: itaq; de his cum audimus minime oblectari possumus. Denique cum exempla ut plurimum ab Historia petantur, inuestigatione dignum uidetur, cur tantopere exempla æque ac fabulæ delectant. An propterea oblectant, quia docent, & celeriter docent. cuique autem id gratum est non solum discere, sed facile. sunt quoq; & explorata, & particularia. Præterea ijs credere magis solemus, quæ plurium testimonio confirmantur. Exempla autem testimoniorum uicem gerunt. fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit. additur quod uerisimile quisque libentius discit. exemplum autem, & fabellæ rem non nisi similem docent. Hæc habui, quæ dicerem de Historiæ nomine, definitione, materia, & fine, quid cum poetice conueniat, quid differat. Denique quam arduum sit, & cuiusnam partes eam conscribere. Quæ si uestræ expectationi non satisfecerunt, spero Academicum nostrum, quæ male ipse apparauit, uberiori ac politiori cæna esse reparaturum.

FABIUS

FABIUS ALOES IOAN. PETRI EQVITIS HONESTISS. P.
De Historiæ compositione alteram habuit lectionem.

CVSTOS ARMAMEN.



RDVA aggredi uelle, & eum præferim, cui nulla inest ingenij uis, nulla dicendi facultas, nulla denique ratio ab optimarum artium studijs profecta; imperiti, ne dum audacis, & imprudentis esse puto. Nam si exercitato uiro admodum difficile, est arduis in rebus optime se præstare, quid eum assecuturum putabimus, qui nullis doctrinæ præceptis instructus, nullis exercitationis uiribus munitus ad præclara quædam peragenda imprudenter accesserit? Quis enim natandi imperitus tutò natabit sine cortice? Quis certandi expers pugnam magno animo inibit? Quis cælestria arma honeste tractabit ludendi ignarus? Id ipse mecum reputans, magnopere uereor, ne quid ultra uires tentans pro laude magnam mihi comparare dedecus: atq; ne superbi Phærontis, aut imprudentis Icarum luam poenas, qui maiora uiribus aggrediar. Quid enim omnis antiquitatis imperitus, & qui Historiam uix à limine salutarim, tot tantorumq; uirorum cœtu dignum afferre poterò? Scio quanto id meo periculo aggrediar. Neq; uellè HORATIVVS SVARDVS. Academicus noster uir multarum rerum eruditione nobilis tantam de me apud nos expectationem concitasset. Nolo aliud à me expectetis, nisi quantum ab adolescente ueteris memoriæ rudi, in quo nulla cana scientia est, decet expectari. Neque id me mea sponte fecisse arbitremini; sed Præsidis nostri iussu, cuius mandata detrectare non licet. Vos nolite quæso, illud Annibalis in Phormionem acre dictum obijcere, cum ille coram Populi Romani concertatore, suæ tempestatis duce præstantissimo de Imperatoris officio, & de re militari apud eum uerba facere ausus esset. Ego multos uidi deliros senes; sed qui magis, quam Phormio deliraret, uidi neminem. Cum iussus igitur id agam, si quid præter expectationem effudero, huius ætatis, huius meæ imperitiæ rationem aliquam habendam esse ducite. Nam ipse male ludere satius esse duco, quam Ducis nostri imperio non parere. Dicam itaq; de Historiæ compositione, quod poterò: uos, quæ dantur, boni consulite.

Vellem uiri doctissimi, nisi ingenij tenuitas mihi obstaret, Historici formam effingere haud secus ac Cicero oratorem instituit, Xenophon Principem, Horatius poetam. Sed quis una lectione id complecti poterit, quod uix uolumine aliquo eruditus uir assequi posset? Cum res igitur sit magni momenti, summa ipse rerum fastigia sequar. Dicamq; primum quibus artibus instructus Historicus ad Historiam conscribendam accedet: tum quæ in ea scribenda seruare, quæ uitare debeat. Denique quo ordine sit explicanda. Decet igitur, qui ex hac re sibi laudem aucupatur, magna prudentia ac iudicio; tum singulari eruditione ac dicendi facultate præditum esse. Quorum priora naturæ sunt munera, posteriora artis & exercitationis. constat Historia ex rebus & ex uerbis, unde magno iudicio in rebus distinguendis est opus, singulari uerò eruditione, & eloquentia in uerbis connectendis. Nam ut sine rerum plurimarum copia uerborum uolubilitas inanis est, ita ipsa oratio nisi ex electione, & constructione uerborum niteat, iucunditatis lepore caret. Habere quoq; eum oportet antiquitatis omnis notitiam, maximamq; uim exemplorum, ut possit interdum quæ scribit, aut præcis monumentis confirmare, aut noua ueteribus comparare. Accedet ad hæc experientia & ciuilis, militarisq; rei peritia, ut quæ de bellicis studijs, ac de fortitudine tractanda sunt, optime ea possit explicare. Neq; enim uideo, quomodo aciem apte instruere, præliaq; ordine enarrare poterit, qui nunquam in castris uersatus est, neque

unquam

nibus finire, ut eas redderent illustres. Huius rei testes sunt Græci, qui permulta de se ipsis duce Orpheo fabulati sunt. is enim ex Aegypto rediens multa Aegyptiorum facta ad Græcos transtulit, finxit enim plurima de Græcorum Thebis, & de Hercule, quæ ipse acceperat de Thebis Aegypti urbe præclarissima, & de Oro Aegyptiorum duce præstantissimo. Quamobrem iure Græcia mendax appellata est. Sed nihil magis Historiæ difficultatem auget, quàm ueterum scripturarum uarietas, ex quibus uerum elicere nisi Deus possit. Vel quæ nostris gesta sunt temporibus, Historia persequitur; At eam subitò ueritatis explicandæ difficultas aggreditur. tū timor, ne quid aduersus principes dicatur: tum adulatio, ne nimium dicatur. Sin ad ea, quæ in Historia tradantur, respicere uoluerimus, & quo scribendi genere uti oporteat, quis non uidet, quàm arduum sit rerum causas euoluere, antiquam memoriæ reuocare, consilia, apparatus recensere, acies instruere, casus, prælia, cædes, uictorias memorare, præclara extollere, crudeliter, aut timide facta deprimere, eorū, quæ gesta sunt, ordinem seruare, loca, gentes, gentium mores, leges, instituta describere, conciones adhibere, permultaq; alia enarrare, eaq; decenti stylo conscribere, quem decet esse solum, lenem, æquabiliter incedentem, atq; perspicuum: neq; ita compressum, ut inops uideatur, & languens: neq; admodum amplum, ut intumescat oratio, neq; talem ut incedat muliebri gressu ac petulanti; sed uirili, & graui. Quamobrem recte Cicero (ut id absoluam quod pollicitus eram) Historiæ compositionem ad oratorem defert. Permulta enim ornamenta adhibet Historia, quæ nisi ab eloquentiæ facultate sibi deprompserit, nemini dubium est, inanem, & inutilem esse futuram. Quæ omnia quomodo seruanda sint, scio ea pluribus esse persecuturum FABIVM ALOES in primis eruditum, & in euoluenda Historia diligentissimum. Quamobrè huic meglectioni finem ut imponam, iam tempus admonet. Idq; libenter faciam: sed tria tantum Aristotelis problemata ad Historiam pertinentia recitare non erit inutile. quæ ut melius percipi possint, illud præmittam. Historiam uel esse uniuersalem, id est de toto orbe, uel de toto uno imperio, uel maiorem, hoc est de pluribus nationibus, uel minorem, hoc est de una, & simplici actione, una enim est, quæ habet partes, simplex uerò, quæ non habet. Vel esse de illustrium uirorum uitis, qualis Suetonij, & Plutarchi. aut de uarijs actionibus, qualis Valerij Max. Quærit igitur Aristoteles, cur libentius eas historias audimus, quæ rem unam exponunt, quàm quæ plures? An quoddam rebus magis attenti sumus notioribus, easq; libentius audimus; Notius autem est, quod definitum: unum itaque finitum est: plura autem infinito participant. Alteram quod Arist. quærit est, cur nos rerum narratio oblectat, quæ nec nimium ueteres sunt, nec admodum nouæ? An quod rebus admodum longinquis diffidere soleamus: quibus uerò diffidimus, nunquam oblectamur. At quæ noua admodum sunt, adhuc quasi sentimus: itaq; de his cum audimus minime oblectari possumus. Denique cum exempla ut plurimum ab Historia petantur, inuestigatione dignum uidetur, cur tantopere exempla quæ ac fabulæ delectant. An propterea oblectant, quia docent, & celeriter docent. cuique autem id gratum est non solum discere, sed facile. sunt quoq; & explorata, & particularia. Præterea ijs credere magis soleamus, quæ plurium testimonio confirmantur. Exempla autem testimoniorum uicem gerunt. fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit. additur quod uerisimile quilibet libentius discit. exemplum autem, & fabellæ rem non nisi similem docent. Hæc habui, quæ dicerem de Historiæ nomine, definitione, materia, & fine, quid cum poetice conueniat, quid differat. Denique quàm arduum sit, & cuiusnam partes eam conscribere. Quæ si uestræ expectationi non satisfecerunt, spero Academicum nostrum, quæ male ipse apparauit, uberiori ac politiori cæna esse reparaturum.

FABIUS

FABIUS ALOES IOAN. PETRI EQVITIS HONESTISS. F.
De Historiæ compositione alteram habuit lectionem.

CVSTOS ARMAMEN.



RDVA aggredi uelle, & eum præsertim, cui nulla inest ingenij uis, nulla dicendi facultas, nulla denique ratio ab optimarum artium studijs profecta; imperiti, ne dum audacis, & imprudentis esse puto. Nam si exercitato uro admodum difficile, est arduus in rebus optime se præstare, quid eum affecturum putabimus, qui nullis doctrinæ præceptis instructus, nullis exercitationis uiribus munitus ad præclara quædam peragenda imprudenter accesserit? Quis enim natandi imperitus tūto natabit sine cortice? Quis certandi expertus pugnam magno animo inibit? Quis cæpestris arma honeste tractabit ludendi ignarus? Id ipse mecum reputans, magnopere uereor, ne quid ultra uires tentans pro laude magnam mihi comparem dedecus: atq; ne superbi Phaëtonis, aut imprudentis Icarum luam poenas, qui maiora uiribus aggrediar. Quid enim omnis antiquitatis imperitus, & qui Historiam uix à limine salutarim, tot tantorumq; uirorum cœtu dignum afferre poterit? Scio quanto id meo periculo aggrediar. Neq; uellè HORATIUS SVARDVS. Academicus noster uir multarum rerum eruditione nobilis tantam de me apud uos expectationem concitasset. Nolo aliud à me expectetis, nisi quantum ab adolescente ueteris memoriæ rudi, in quo nulla cana scientia est, decet expectari. Neque id me mea sponte fecisse arbitremini; sed Præsidis nostri iussu, cuius mandata de re certa re non licet. Vos nolite quæso, illud Annibalis in Phormionem acre dictum obijcere, cum ille coram Populi Romani concertatore, suæ tempestatis duce præstantissimo de Imperatoris officio, & de re militari apud eum uerba facere ausus esset. Ego multos uidi deliros senes, sed qui magis, quàm Phormio deliraret, uidi neminem. Cum iussus igitur id agam, si quid præter expectationem effuderit, huius ætatis, huius meæ imperitiæ ratione aliquam habendam esse ducite. Nam ipse male ludere satius esse duco, quàm Ducis nostri imperio non parere. Dicam itaq; de Historiæ compositione, quod potero: uos, quæ dantur, boni consulite.

Vellem uiri doctissimi, nisi ingenij tenuitas mihi obstaret, Historici formam effingere haud secus ac Cicero oratorem instituit, Xenophon Principem, Horatius poetam. Sed quis una lectione id complecti poterit, quod uix uolumine aliquo eruditus uir assequi posset? Cum res igitur sit magni momenti, summa ipse rerum fastigia sequar. Dicamq; primum quibus artibus instructus Historicus ad Historiam conscribere dam accedet: tum quæ in ea scribenda seruare, quæ uitare debeat. Denique quo ordine sit explicanda. Decet igitur, qui ex hac re sibi laudem ancipatur, magna prudentia ac iudicio; tum singulari eruditione ac dicendi facultate præditum esse. Quorum priora natura sunt munera, posteriora artis & exercitationis, constat Historia ex rebus & ex uerbis, unde magno iudicio in rebus distinguendis est opus, singulari uerò eruditione, & eloquentia in uerbis connectendis. Nam ut sine rerum plurimarum copia uerborum uolubilitas inanis est, ita ipsa oratio nisi ex electione, & constructione uerborum nitetur, iucunditatis lepore caret. Habere quoq; eum oportet antiquitatis omnis notitiam, maximamq; uim exemplorum, ut possit interdum quæ scribit, aut præcis monumentis confirmare, aut noua ueteribus comparare. Accedet ad hæc experientia & ciuilis, militarisq; rei peritia, ut quæ de bellicis studijs, ac de fortitudine tractanda sunt, optime ea possit explicare. Neq; enim uideo, quomodo aciem apte instruere, præliaq; ordine enarrare poterit, qui nunquam in castris uersatus est, neque unquam

unquam milites ad pugnam educi conspexerit: neq; quo armorum genere in bellis gerendis uti soleant, sciuerit. Decet præterea Historiæ scriptorem non facile cuiuslibet præbere aures, omniaq; audita temere in suam referre historiam, cui nihil magis ad uersatur, quàm uanitas. Esse quoq; magno, liberoq; animo, omni timore, et adulatione solutum. Neq; enim fieri potest, ut uera scribere possit, (quod Historia præcipue postulat,) qui ad gratiam loquitur: effingendus est suis quisq; coloribus. Neque magis Alexandro, quam Dario, neque magis Cæsari, quam Pöpeio parcendum est, æquis enim trutinis eorum mores, gesta, uirtutes ac uicia, leges & instituta sunt exponenda. Nam Historiæ acerrimi hostes sunt uanitas, & adulatio. Neq; solum præsentem spectabit Historicus, sed potius omnem posteritatem. Si quis enim præsentem captat bene uolentiam, adulationis famam subibit, laudemque apud posteros amittet. Per multa nunc Principum gratia accipiuntur, quæ post mortem posteri respuunt. Recte Alexander, libenter, inquit, ð Thnesicrates post mortem in uitam paulisper redirem, ut cognoscere, quo pacto hæc legere homines, qui tum erunt: nam si nunc ea laudant, & amplectuntur: mirum non est, putant enim hac uia sibi beneuolentiam apud me conciliaturos. Atq; ut à falsis decet Historicum abhorre: ita in Imperatorum uitijs recensendis sobriū ac parcum. Debet enim Historia pudore aspergi, neq; adeo petulans esse, ut pudicos oculos aut aures offendat. Quare accusatione non uacat Suetonius, qui dum nimium in Principum prauis facinoribus describendis immoratur, ea potius docere, quàm narrare uidetur. His armis instructus Historicus ad scribendum accedit, geretq; animum terfi ac politi instar speculi, quod rerum formas quales obijciuntur, tales easdem exhibet spectandas. Debet Historicus ab oratore, & à poeta distare. Nam Orator ex minori rem maiorem facit. Poeta non solum quæ sunt, auget, amplificatq; sed etiam quæ nullo pacto sunt, effingit, easdemq; maximas admirabilesq; reddit. Historicus uerò res ipsas neq; maiores oratione sua efficit, neq; minores. Quamobrem tertium sibi locum is uendicat, cum, quæ sunt, ita ut sunt, narret, primum uerò poeta, qui nulla ex re magna facit: huic proximum habet orator, qui minora amplificat. Sed iam his generatim, & per capita explicatis, ad ordinem accuro, quem decet Historicum seruare. Is igitur cum circa humanas actiones recensendas uersetur, primum animaduertet, aliquem extitisse, qui actionem aliquam per fecerit, tum causam, qua ille ad eam peragenda fuerit impulsus, cumq; ea, quæ acta sunt, in tempore, & loco acta esse necesse sit, hæc quoq; spectabit. Præterea, cum ex ijs quæ aguntur, aliud præcedat, aliud sequatur, ordinem, quo quælibet res peracta est, recensere conuenit. Deniq; cum omne agens instrumento aliquo utatur in agendo (nam cœlum, elementa quoq; & belluæ, & homines instrumenta adhibent in rebus agendis) Propterea hæc quoq; explicare oportet, quibus actio illa ad finem perducta fuerint. Historicus igitur actionem aliquam scripturas, cum actio ab aliquo fiat, aliqua de causa, in tempore, & loco, tum etiam modo siue ordine, & instrumentis, hæc omnia recensebit, ut perfecte suo fungatur munere. Nunc uerò quid in singulis his, quæ proposuimus agere oporteat, dicendum est, quando hæc ab historico sunt consideranda. Actio, Actor, Causa, Tempus, Locus, Modus, & Instrumentum. Actio igitur uel à principio intrinseco ortum habet, uel extraneo. Quæ ab interno procedit (hæc enim uerè nostra dicitur) ex duabus animæ facultatibus ortum ducit, uel ab ea, quæ rationis est particeps, uel ab irascibili. Atq; ut ex priori profiscitur cōsultatio, & electio, sic ex posteriori sunt affectiones, & appetitus. Decet ergo Historicum & consultationem, & electionem, quæ actionem præcessit, indagare, & affectiones eius comites explicare. Præterea omnis actio cum quoddam totum sit, instarque corporis animati se habeat, constat ex partibus, hoc est ex pluribus actionibus, quæ totam actionem perficiunt. Exemplo erit bellum Punicum quod & si unica est actio, habet

habet tamen plures actiones, ut illæ sunt quæ à Duillio, ab Himilcone, ab Amilcare, à Lucatio perfectæ sunt; tum à cæteris & Romanorum & Carthagenensium ducibus. omnes tamen ad præcipuam sunt referenda, neque aliquam recensere fas est; quæ ab illa longè abhorreat: maximum enim hoc uitium est. Et quemadmodum unam subesse actionem conuenit, ad quam cæteræ referuntur: sic unum decet actorem esse præcipuum, cui cæteri parent, itidem & causam unam, ad quam cæteræ redigantur. Præterea animaduertere oportet, tria esse in actionis natura, quæ semper eam comitantur, niros, occasionem, & euentum: nisi enim inceptum aliquod tale erit, ut fieri possit, frustra suscipitur. Quare & quibus uiribus actio fuerit suscepta, tum quæ occasio gerendi fuerit, qui denique eius euentus extiterit, recensere oportet. Fugendum illud quoque uitium est, ne nimis longè actionem Historicus repetat, Horatianam illud, Nec gemino Troianum bellum orditur ab ouo, habet Historia commune cum poetis. Quæ in re lapsus uidetur Sallustius, qui Catilinæ coniurationem ab urbe condita auspicatur, Bellum quoque Iugurtinum ab ultimis Africae uicibus: In eodem errore uersari putandum est, qui unius urbis res gestas prosequi in animo habens, à mundi origine exordium fumeret; non ab illius urbis initio. Illud quoque nescio an Historico liceat in Historia interdum Philosophi partes agere, quo in numero Polybium fuisse uideo in externa quædam plerumque digredientem, quarum rerum explicatio, & si iucunda est, nec utilitate carens, ad historicum tamen non uidetur pertinere: cum eius munus sit gesta enarrare, non causas rerum inuestigare, quod Philosophi munus esse scimus. Et si non ignoro Historicum rerum causas referre solere, non ut causæ sunt, sed ut effecta, cum uerò is ad inuestigandas rerum causas excurrit, Philosophi sibi tunc partes uendicat. Et ut hoc non probandum, sic illud absurdum uidetur, in actione alicuius, aliorum facta intermiscere, ut si quis Venetum bellum scribens, quæ in orbe nuper inuento peragantur, immisceret, in hunc illud Horatij conuenit merito dici potest. Sed nunc non erat his locis. Atque ut necessaria prætermittere uitio dator: sic minuta quælibet consulari laudabile non est. Nemo enim meo iudicio equorum phaleras, armorum insignia, vulgi rumores, nimis anxie prosequetur: nisi forte hæc res insignem ac illustrem aliquam actionem sint paritura. Polybius quoque præcipit Historiæ non inserendum esse aliquod Dramaticum, grauiusque reprehendit eos, qui narrant Annibali Alpes transituro percussio atque attonito apparuisse quendam Heroa, ut in Tragedijs occurrit Deus *ἀπὸ μηχανῆς*. Sed hæc in somnis apparuisse, cum Historicus asserit, non uitio dandum existimo. Sed uenio ad Actorem, quem cum describet Historicus præcipue eius nomen familiæ, ac patriæ recensebit: tum eiusdem uires, sapientiam, uirtutem, auctoritatem, felicitatem, quæ res in optimo duce requiruntur. Sed præcipua sunt in duce agendi facultas, scientia, & audacia. Prima tribus in rebus consistit in opibus, in publicæ potestatis auctoritate, & in personæ ipsius dignitate. Altera consistit in naturali quædam ingenij perspicacia, in rerum peritia usu parta, & rerum cognitione ex optimarum artium studijs comparata. Tertia sita est in animi & corporis uiribus, in repentinis affectionum motibus, & in morum conditione. Neque enim quisquam optimè actionem aliquam instituerit, & feliciter perficere poterit, quin his tribus animi dotibus fuerit ornatus. Nec causa prætermittenda est, quæ actorem ad aliquid peragendum impulerit. Nemo enim aliquid agit, quin ad illud agendum sine animi perturbatione aliqua ducitur, siue deliberatione, & consilio, aliqua de causa illud agat. Nam causas bellorum subesse oportet. At si quid casu contigerit, ut plerumque usu uenire solet, ita illud recensebit, ut accidit, uera enim semper dicere Historicum decet. Cumquæ quatuor sint apud Philosophos causa,

causarum genera, de ea, quam finalem appellant, mea est oratio. nam materia est actio ipsa. Efficiens Actor. Forma modus est, quo res ipsa geritur. Finalis uero causa multiplex est, uel enim Ira commotus ad aliquid peragendum actor impellitur, cuius finis est ultio: uel propter odium, cuius est damnum. uel propter amorem, ut aliqua re fruatur; uel propter pietatem, cuius est prodesse. Est quoque temporis, quo que res gesta sit, cognitio apprime necessaria: est enim tempus omnium adionum comes. Vnde nisi testes Historici temporum discrimina suis in historijs adnotassent. mundi antiqua gesta ignoraretur: neque sciri posset quamdiu monarchia durasset, quado, & quomodo incepissent imperia. Fas est igitur tempus exacte in historia describere, ut quo anno actio qualibet inceperit, quo uero desierit, optime sciri possit. Inuenio apud auctores, tempora in historijs quatuor modis fuisse notata. Apud Hebraeos per suorum Regum annos: apud Graecos primum per Archontas, postea per Olympiades. apud Romanos per Consules, tandem apud christianos a Christi natali. Cumque actio partes suas habeat, ita & temporis partes sunt adhibenda: neque anni solum mentio facienda, sed etiam anni temporum, mensium, atque dierum. tum si quid noctu, an interdiu, serenis ne diebus, an nubilis, frigidis an aestu insignibus, pluuijs an siccis, an uento ageratis, obscuris ne noctibus, ac lunae lumine claris, hibernis, an aestiuis. in primis an secundis uigilijs. etiam horas recensere iuuat. nam ut hora fuit maxime ad rem gerendam accommodata, ita ad sciendam non est plerumque inepta. Temporis comes est locus, quidquid enim agitur, in loco fieri necesse est. Hinc frequens est apud auctores loci, ubi quippiam actum sit descriptio. Atque hic aut Generalis est, aut specialis, aut particularis, liceat his uti uocibus clarioris doctrinae gratia. Generalis continet praecipuas orbis partes, ut Europam, Africam, Asiam, & No uas Indias nostris temporibus inuentas. alter continet Regiones, ac prouincias, ut Hispaniam; Galliam, Graeciam, Italiam. Tertius insulas, urbes, lacus, flumina, montes, promontoria, nemora, siluas, ualles, campos, caeteraque eiusmodi. Quae in re Geographicae descriptiones tam uniuersales, quam particulares multum Historico prodesse possunt. sed multo magis propriae peregrinationes, ut de Vlyssae fingit Homerus. Neque modus silendus est, quo quaeque res gesta fuerit: interdum enim prudenter, ac consulto, ordineque quodam processit. interdum, temere, casu, ac incomposita. Hic varias continet gubernationum ciuiliu formas in legibus sciendis, in magistratibus deligendis, in deliberando, in iudicando, in artibus constituendis, in religione seruanda, in frugibus comparandis, in uestigalibus aut imponendis, aut exigendis, caeterisque eiusmodi rebus ordinandis. Quae omnia Historicum recte scire oportet, eaque optime explicare, cum usus uenerit, ut res postulat. Quamobrem cum bellum aliquod describendum est, assignare oportet modum, quo gestum sit, describere belli apparatus, ducis bellum gerentis uires, copias, uestigalia, armorum genera, quomodo acies instructa, qui pugnae exitus, quae uictoria fuerit, & quae uictoriam consequuntur. Huc accedent uaticinia, praesagia, auguria, oracula, uisiones, sacrificia, transfugia, explorationes, legationes, belli indicendi ritus. Fiet quoque instrumentorum enumeratio, ac bellicarum machinarum, quibus bellum ipsum gestum fuerit. Instrumenta sunt quatuor. Pedites, Equites, Arma, Classes. quae omnia pro temporum ratione sunt describenda. alia fuisse apud praeficos, alia apud recentiores. diuersa apud uarios populos. Alio enim pacto constat Macedonas, alio Romanos, alio Persas, alio Cartagenenses ad bella gerenda accessisse. Fuere quoque apud praeficos praeter arma, & equos, etiam elephantes, & Falcatae currus. Instrumenta quoque, quibus uel defendendi, uel oppugnandi causa utimur, penitus mutata sunt. Fuere apud praeficos Arietes, balistae, catapultae, onagri, uinae, tum iacula, funde; nunc in horum subiere locum, Bombardae, basilisci, manuarumque illa tormenta, quae magno sonitu

sonitu ac fragore omnia quatunt, prosternunt, ac diruunt. Actionis igitur dispositio talis erit, ut caetera praecedant, causarumque consilia, diuersaque sententiae senatorum ac uoluntates in utraque partem: Tum belli dux, & uires, ac opes Reip. si magistratibus regitur, uel regis ipsius, ubi unius imperio caetera subiiciuntur. Ita a Lino Annibalis mores in principio secundi belli Punici, a Sallustio Catilinae, ac Iugurtae mores describuntur. Principum quoque senatus & ciuitatis mores atque instituta describenda sunt fideliter, opes item, amicitiae, ac societates. Huc accedet explicatio bellici apparatus tum terrestris, tum maritimi, quales, & quantae utriusque partis copiae, armorum genera, equitum, ac peditum numerus: sequantur uero post susceptas expeditiones locorum, ac regionum descriptiones, per quas perductus est exercitus, & ubi castra posita, in campis, uel collibus, ubi praelium commissum: tum quae in ipso bello contigere, uel spei, uel timoris plena, uel gaudij, uel tristitiae, rumores, metus insidiae, praelia, leues pugnae, tempestates, fames, frigora, aestus, pestilentiae, tum Imperatorum conciones, quibus milites uel hortari, uel laudare, uel eorum ignauiam accusare solent: Tum obsidiones, expugnationesque urbium, caeteraque eiusmodi, quae historiae & admirationem, & uoluptatem pariunt. Vulgatae sunt illa, aciem instruere, indicare animum habitum, nunc uictoriae, nunc cladis praesagium, militum uel strenue se gerentium, tum timide in acie facta referre, ducum solertiam, adhortationes, consilia. Vnde primum uictoriae coeperit, post pugnam ac uictoriam caedes, captiuorum numerum, uexilla capta, praedam, spolia, direptiones recensere, praemia referre, commendare fortitudinem, accusare ignauiam, miserari humanos casus, uarietatem, ludumque fortunae admirari, permultaque alia, quorum exemplatio uos non ignorare, qui Liiij, Sallustij, Caesaris, ac caeterorum auctorum historias semper in manibus habetis. Quibus ex uerbis clarissime patere arbitror causam praecedere debere, & actorem, tum apparatus & instrumenta, hinc locum, & modum, denique euentum: Tempus uero cum omnibus sit commune, per totam actionem intermiscendum esse. Haecenus de generali aliqua actione. Nunc uero pauca quaedam ad dere libet, si quisquam unius personae uitam sit descripturus. Sed illud primum, non omnem personam illustrem reddere historiam, sed quae in ciuili actione, & in militari disciplina plurimum enituerit. Quisquis ergo alicuius uiri illustris uitam describere uolet, illius primum nomen exprimet, tum gentis, tum patriae; post totius uitae dicta, factaque illustrata prosequetur ab ortu usque ad uitae extremum; ut qui eius gesta legunt, uirtutum aliquot exempla ex illis sibi possint depromere. Cumque actiones aut ab extrinseco, aut interno principio ortum habeant, in extrinsecis actionibus enarrandis non nimum sedulus erit Historicus: nisi forte ad eas, quae internae sunt, uel impedendas, uel adiuuandas pertinebunt. Saepae enim contingit, ut animus noster uel bonus, uel malus ad aliquid uel bene, uel male agendum impellatur. In huiusmodi historiae genere uitio datur, non solum illius uiri maiorum facta longius repetere, uel aliorum, qui nihil ad eum, de cuius uita scribitur, pertinent, sed etiam minima quae liber illius consecrari. Decet enim Historicum rerum narrandarum habere delectum: neque enim omnia sunt recensenda, sed magna, & utilia, quae temporum, & locorum notatione sunt illustranda; unde Cicero reprehendit eos, qui uerba quaedam consecratur. Quare non immerito Capitolinus stulte Historicum quendam Iunium Cordum fecisse existimauit, qui etiam narrauit, quot seruos, quot penulas, quot chlamydes quisque principium haberet. Marcellinus quoque affirmat, non decere historiam per ignobiles minutias perducere. Nihil enim tam dedecet Historicum, quam otio, quo abundat, abuti in iocosa inanium rerum descriptione. Ea tantum recensere decet, quae ad patriae, aut principis emolumentum, uel damnum pertinere uidebuntur. Explicabit quoque naturalem illius propensionem ad aliquam uirtutem uel uitium

Quemadmodum aiunt Thémistoclem natum fuisse ad agendum procliuum, Catonem ad feueritatem, Philopemenem ad bella, Cæsarem ad liberalitatem: tum animi perurbationes, quæ actiones pariunt, uel subito quodam impulsu, uel consulto: tum mores, qui iam ex assiduis actionibus, uel assiduo usu comparantur. Neq; præteribit educationem, studia, artes, disciplinasq; quibus eruditus fuerit. meminerit quoq; ætatis, in qua aliquid dignum laude gesserit; tum uirium corporis, quibus talia peregerit. Neq; solum facta recenserebit, sed etiam sermones, quibus uti solitus fuerit, causasq; quibus impulsus aliqua egerit. tum locum, tempus, instrumenta, quibus aliqua profecerit, multaque sibi depromet ex his, quæ supra dicta sunt; sæpe indicis induet personam; laudabit aliqua, quædam accusabit, quædam admirabitur, quædam deprimet; omnibus autem in rebus ueritatem semper ante oculos habebit. Hæc est enim Historiæ anima, ut recte admonet Polybius. Nam quis nescit hæc esse primam historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid uere non audeat, ne qua suspitio gratiæ sit in scribendo; ne qua simulatio. Illud uerò dolendum, nullam fere historiam esse, cui non aliqua fabula tanquam labe adpersa sit. unde Vopiscus asserit nullum esse historiæ scriptorém, qui non sit aliquid mentitus. Verum qui propter hanc causam scriptorem fæde lacerant, haud secus agunt, ac illi, qui corpus aliqui uenustum, nani alicuius gratia tanquam deforme respuunt. Propterea optandum, ut scriptores ea demum narrarent, quæ uiderunt, quibusque interfuerunt, quod Polybius profiteretur se in primis in historia desiderare, uerum si oculati testes non adsunt, *ἡ ἀπόψη*, proximum erit, ut ab ijs, qui interfuere, optime audierint. Quod uerò ad uerba attinet, (nam hoc alterum est, ex propositis, sed postremum) dabit operam ut sint propria, accommodata, delecta, uisitata, probatis ex auctoribus pro re ac loco sumpta; interdum à poetis mutuata, qua in re Liuium admodum uideo præstitisse, deinde ut collocatio ipsa sit artificiosa, multiplex, numerosa, suis ornamentis referta, ac dignitate condita quæ omnia assiduitate sibi diligens historicus comparabit. Adhibebit & breuitatem, quam narratio tanquam proprium iure suo sibi uendi dicat. Sed puram, & illustrem, apertam & claram, cui tanquam grauis aduersaria constituta est obscuritas: loquendiq; perplexitas. quod uitium effugiet Historicus si utetur uerbis non obsoletis, non putidis, non ancipitibus, non contorta oratione non uorticosa, non lubrica, non complicata, non spinosa. Breuitatem comitatur in historia celeritas, quæ est breuis, & accurata siue complexio, siue collectio, conglutinatioque complurium simul rerum ac uerborum, & quasi partium, quarum unaquæque per se prolata sensum perficit, quæ cum copulatione uel sine ea fieri potest. Sed hæc historiæ celeritas breuitatis comes me plura de historia locutum ac fas erat, uehementer redarguit, iubetq; iam lectioni nostræ celeriter finem imponere. Verum si me longiorem expectatione uestra in dicendo experti estis, tribuite id, obsecro, rei magnitudini, quæ pressius, ac celerius explicari non potuit: sin forte plura me absoluisse putatis quam pollicitus fuerim, id mihi laudi duco. Nam melius esse puto multa præstare, cum pauca promiseris, quam Horatianum illud contingere.

Parturiem montes: nascetur ridiculus mus,




MICHAEL BLANCVS

IOAN. THOMAE EQVITIS ET IVRECONSULTI CLARISS. F.

Cum aliqua de Geographia essent dicenda, his uerbis præfatus est.

LABARIFER.



I quis in Alcinoi Phæacensium regis bifera pomaria, quæ perbelle describit Homerus, uos hodie deduceret: uel in Hesperidum amœnissimos hortos, de quorum aureis pomis permulta ueteres poetæ fabulati sunt, atq; adeo ad tam celebres illas, ac fortunatas sedes, ubi qui caste, pieq; uixerunt, iucundam, immortalamq; uitam agere dicuntur, quo hunc amore cometeremini? quo dignum honore? quo præmio afficiendum censeretis ob tam præstans in uos collatum beneficium? Maximo quidem. Nam quid homini, cuius uita tot morborum incommodis, tot curarum incendijs obnoxia est, gratius, aut iucundius contingere potest, quam ibi ætatem agere, ubi aiunt omni tempore.

Cælum nitescere, arbores frondescere,

Vues lætificas pampinis pubescere,

Ramos baccarum ubertate incuruescere.

Segetes largiri fruges, florere omnia.

Fontes scaterere, herbis præta conuestirier?

Adde mollissimas Zephyrorum auras, & immortalium auicularum concentus suauissimos. Neque enim aliam ob causam beata censeretur Deorum uita, nisi quod eorum propriæ sunt uoluptates. Nam cur mens subito concutitur terrore, cum primùm uoces illæ aures feriunt?

Achorentia templa Orci pallida,

Læthi obnubila, obsita tenebris loca.

(Horresco referens) nisi quia pallidæ mortis subit imago, nisi quia horror, tremor, tristitia, luctus, dolor, mortis denique recordatio undique circumstant dextrâ, læuâq; frequentes. At facessant hæc. Nolo quietos animos eiusmodi ægritudine commouere. Nunc enim huc prodij, ut in Fortunatas insulas uos hodie traducerem, nõ tamen per Alpium iuga dura glacie concreta, non per prærupta Pyrenæi montis cacumina, non per barbaras Syrtis, aut per ardua piniferi Atlantis latera; sed per ampros Geographiæ campos, & per floridos Ptolomæi, & Strabonis hortos. Aperient hos uobis hodie quidam ex nostris Academicis tam benigne, & tam facile, ut non modò eorum humanitatem, ac eruditionem sitis commendaturi, sed perpetuò huius diei hilarem memoriam habituri. Eia ergo, quod faustum, felixque sit, amœnum hoc, ac molle iter una mecum ingrediamini, ut defatigatas mentes, & aures caudicorum clamoribus defessas mira florum suauitate, leni Zephyrorum sybilo, riuulorum blando murmure, auium denique gratissimò concentu possitis hodie relaxare.

ACADEMICA
HORTENSIVS PECTIVS IOAN. ALPHONSI F.

De Geographia primam habuit lectionem, in qua egit de
Philosophia, & partibus eius.

P R A E F E C T V S A L A E.

MERCVRIVS ille Aegyptiorum Rex, qui ob incredibilem penē rerum omnium cognitionem atque scientiam Trismegistus appellatus est, cum hominis praestantiam intueretur, eiusque mentis aciem, qua supera penetrat, infera uidet, media praeteruolat, non sine diuino numine Hominem magnum naturae miraculum, animal augustum, ac uenerandum appellauit. Sed Plato tot insignibus titulis non contentus cum rationalis animae substantiam à summò rerum omnium Opifice manasse arbitraretur, hominem non miraculum tantum, sed diuinum miraculum maluit appellare. Veteres quoque Philosophi duo Dei Opt. Max. simulacra esse dixerunt, Mundum, & Hominem, quem Microcosmon, hoc est paruum mundum appellauere, cum in homine uno, quaecunque mundus ipse continet, tanquam in exiguum globum collecta, consistant. Praeter enim mortale corpus, caelestemque animam, quibus rebus is praecipue constat, ea fruitur facultate, quae plantarum est propria: nec non sensu uiget, ut belluae, ratione denique, & mente diuinorum exemplar est; atque Dei charagma, ut Theolorum uerbo utar. Hoc tam admirandum animal non ad otium, non ad socordiam natum est, sed (ut inquit Arist.) ad contemplandum, & ad agendum. cum enim in eo insit mens, ratioque ad quarum alteram Prudentia, ad alteram Sapientia pertinet, duabus hisce artibus eum fultum esse decet. Per Prudentiam enim, atque artem humana gubernare, se uitam, corpusque, tueri, patriam, parentibus, ceterisque; operam ferre, eius facultatis proprium munus existit, quae rationis est particeps: quemadmodum per Sapientiam Naturae arcana, diuinaque penetralia contemplari, & attingere menti datum est. Quamobrem si quis est, qui duobus hisce luminibus nititur, ut dignitatis suae memor, eiusmodi in rebus uersatur, propter quas à Deo Opt. Max. in hunc mundum delegatus est, is habet in caelo certum, ac definitum locum. His gradibus permulti praestantissimi uiri ad diuina illa ascenderant domicilia. Qui uero praestantiae suae obliui diuina contemnunt, humana non respiciunt, nec sibi, nec ceteris prosunt: sed sponsi Penelopes, nebulones nihil altum moliantur, non mirum, si atra premuntur caligine, & si apud inferos cum Tantalo sitiunt: si cum Ixione fortunae rotis alligati infelicem uitam agunt; si denique animi perturbationibus exagitati uulturibus una cum Tytio escam praebent. Dolendum est enim, cum animal hoc tam prouidum, tam sagax, tam acutum, mentis, & disciplinae capax, tam rationis & consilij plenum immortalitatis, atque ad eam suae originis immemor nihil agit, nihil contemplatur, & à sua natura tam longe aberrat, ut nihil in posterum spectare uideatur. Cum igitur ad agendum, & ad contemplandum homo genitus sit, propterea Philosophiae munus ei assignatum uidetur, ut eius uirtute duo haec munera recte perficere ualeat. Qua de re est mihi hodie dicendum, quando diuino numine adspirante Geographiam aggredimur, ut ad quam Philosophiae partem ea spectet, indagare possimus. Attendite uos, ut soletis, & nostri ingenij tenuitatem benigno aurarum uestrarum sibilo subleuate.

Duas esse Philosophiae partes praecipuas ex ijs, quae diximus facile cognosci potest Academicis solertissimi, earumque alteram sola mentis agitatione contentam esse, quae

esse, quae à contemplandi munere à Graecis *θεωρία* dicta est à πὸ τῆς δέρας ὀπέστωρ, id est à diuina inspectione, Alteram uero actionem postulare, propter quod *πρακτικὴ* id est Actiua appellatur, quia ἐν πράξει, id est in actione uersatur. Priorem Philosophiae partem, quae in sola animi agitatione uersatur, Plato mortis meditationem appellauit. quam tunc fieri censuit, cum mens à sensibus reuocatur, & cum animus maxime à corpore abducitur, non eo pacto, quo Cleombrotus arbitratus est, quem haud recte Platonis sententiam percipientem ex arce se deturbasse ferunt, ut expeditius philosopharetur. Hoc contemplandi munus ut in humanis excellit, ita in diuinis praestantissimum existimatur. eius enim beneficio ad Dei Opt. Max. arcana, atque naturam quam proxime accedimus. Maximum hoc humanae uitae bonum censendum est. Nam si beatae mentes in Deo rerum omnium formas optime uident, quas hic in aenigmate, & per transennam licet cognoscere, haud dubium est, quin summa humanae felicitatis perfectio in summa rerum omnium cognitione consistat. Neque aliam ob causam aeternam Dei Sapientiam humanam induere naturam uoluisse putandum est, nisi ut homines, qui primi parentis culpa à summi boni cognitione descuerant, in integrum restitueret. In eiusmodi contemplatione uersanti Mosi cum oues in sina pasceret, diuinorum secretorum participi quid contigerit: quid Samueli soli in templo domini recubanti, & à Deo ad populi regimen adscito: quid Iacobo angelos ascendentes, & descendentes in somnis uidenti: quid Dauidi intra se diuinitus intuenti quae **CHRISTVS** humanam naturam indutus perfecturus erat in terris: quid Daniele noctu contemplationi, & orationi uacanti: quid Prophetis omnibus: quid Saulo ad tertium caelum rapti: quid Ioanni in **CHRISTO** pectore recumbenti: quid denique ceteris omnibus sanctitate praestantibus uiris, cum sacrarum litterarum sitis perstudiosi, arbitror uos Academici non ignorare. Sed ut quae ad Ethnicorum pertinent studia, exempla aliqua non praetermittam, ad eam contemplationis uoluptas omnium mentes excitat: Quid Ganymedem à Ioue raptum significare arbitramur, nisi eum, qui contemplationi deditur mirificam uitae uoluptatem percepit, & ad pulchritudinis Idaeam aquilae uncis pedibus sublatus, hoc est mentis acie propius accedens dignus Ioue pocillator est constitutus? id nomen ipsam iudicat, nam Ganymedes dictus uidetur quod γανυται μῦθος hoc est, quod diuinis fruitur consilijs. μῦθος enim Graeci abstrusum consilium solent appellare. Quid Caucasus ille, ubi alligatus fertur Prometheus, designat, nisi solitudinem contemplationis perpetuam comitem? Quid aequi la illa in eius recumbens pectore, nisi iugem curam, qua cor eius exagitabatur? Quid Endymion Lunae amasium Astrorum studio intentus perpetuo uigil? Quid Atlas Libycus axem humero sustinens, qui in altissimum Africae montem recessit? Quid denique Epimenidis somnus est, nisi hic contemplationis recessus? Amat enim contemplatio solitudinem, ut Praxis hominum commercia. Neque aliam ob causam Musas Poetae montium cultrices faciunt, nisi quia qui huic rei dediti sunt, eos hominum coetus uitare oportet. Nec minus idem significasse Platonem arbitror, ubi fingit multa de animorum ascensu per Capricorni Tropicum. Huiusce rei amore captos Gymnosophistas constat apud Indos ab exortu solis ad occasum eodem in loco aeternis saepe pedibus perstitisse in feruenti arena, solemque immobilibus oculis intueri solitos, ut hac ratione & animum meditando officio, & corpora laborum tolerantia exercebant. Eiusdem rei studio incitatus Homerus dum perlastraret orbem terrarum in ophthalmiam incidisse fertur. Nec minus Democritus post diuturnas peregrinationes, quas sapientiae causa susceperat, in Graciam reuersus, ut ea, quae hauserat praecipua excoleret diligentius, lucidissimo lebete oculis obiecto se uidendi facultate priuauit. Taceo quae incommoda pertulerint, quae pericula adierint, quae itinera exegerint Pythagoras, Plato, Empeocles, Anaxagoras, Democritus, Anaxar-

sis, Clearchus, Appollonius, compluresq; alij, ut hanc quam dico sapientiam, assequi possent. Scio enim uos hac de re hoc in loco non semel meminisse. Hanc philosophandi rationem ex admiratione ortum habuisse testatur Aristoteles in prologo suae diuinæ Philosophiæ. Nam cum homines naturæ miracula admirarentur, tunc philosophari, id est, rerum causas scrutari incepere. Vnde non immeritò Poetæ Irim Thaumantis, hoc est, admirationis filiam fecere. Nihil enim in maiorem traduxit omnes admirationem, quam uersicolor ille arcus, qui in nubibus aduerso sole fieri solet. Hic adeo Philosophorum mentes torfit antea, nec minus & nunc exagitat nostros, ut de eo quid ueri afferri possit, hucusque non uideam. Philosophiam Xenocrates ea de causa existimauit inuentam, quia cum hominum uita, quæ in actione posita est, multis prematur ærumnis, turbulentaq; existat, mortales ut tantis mederentur incommodis, ad contemplationis studium animum appulerunt. Sed iam me uocat altera Philosophiæ pars, quam ad *πραξι*, id est, ad actionem pertinere diximus. In ea nõ solum inest cognitio ueritatis, sed etiam extra intellectum operatio quædam, quæ uel in se ipsa acquiescens nomen generis sibi arrogat: atque *πραξι* dicitur, uel certe opus quoddam post se relinquit, quam *πραξι* proprie appellant. Ad hanc Philosophiæ partem præter Liberales artes omnes, & Mœchanicas, referuntur præcipue Morales uirtutes, rerumque publicarum, & priuatarum procuratio. Quam ob causam triplicem eam constituere. Continet enim uitæ præcepta, quæ trifariam diuiduntur. Nam aut circa mores cuiusq; aut circa rem familiarem, aut ciuile regimen uitam instituant, unde effectum est, ut tria etiam nomina sit fortia. Ethice enim appellatur, quæ docet, quibus moribus quemq; uti oporteat. Oeconomica, quæ familiæ regimẽ monstrat. Politice, quæ publicarum rerum continet administrationem. Nec minus harum unaqueq; suum finem spectat. Nam Ethice humanam respicit felicitatẽ, œconomice rem familiarem: Politice Remp. Neque mirum cuiquam uideri debet, cur Philosophiam ueteres in duas partes distribuerint: nam respexere duplicem hominis naturam, intellectuam scilicet, & corpoream: nam ut animæ propria est Theoria: sic corporis est actio. Respexisse quoq; uidentur ad duplices habitus, qui in nobis insunt: Intellectiuos scilicet, qui in ueritatis tantum contemplatione acquiescunt; & Practicos, qui ad actionem quandam uitæ utilem referuntur. Præterea cum omnia bonam appetant, eiusq; gratia aliquid agant, cumq; bonum duplex sit aut internum, aut externum, non immeritò duplex hæc Philosophia emanauit, spectatq; altera interna bona, altera uerò externa. Addantur hæc rationes ei, quam supra adduximus, cum duplicem hanc Philosophiam ex ea re manasse dictum est, quod homo & mente, & ratione præditus sit. Duplicem hanc Philosophiam uidetur Homerus completi uoluisse duplici suo uolumine. Nam ut in Iliade corporis robur, sic in Odysea animi uires elegantissime expressit. Quam rem Virgilius imitatus uidetur unico opere, & in una persona. Sed omissa Praxi, ad Theoriam, & ad eius partes me conuerto. Est Theoria rerum abstrusarum, atque difficilium, quæ uulgi captum superant, cognitio. Eius propria est ueri inquisitio, atq; inuestigatio. Rei uerò cognitio iuxta Aristotelis sententiam aut simplex est, aut cõposita. Simplicem appellat, qua uel rei ipsius principia tantum sola apprehensione, absq; ratiocinatione ulla, aut meditatione assequimur, quem habitum *θεωρητικὴν* appellat. uel rem ipsam ex præcognitis principijs demonstratiuo syllogismo deducimus, quæ *πραξι* id est scientia dicitur. Compositum uerò asserit, cum rem subiectam utroq; modo cognoscimus per *θεωρητικὴν* quidem ipsa principia, per *πραξι* uerò ipsa, quæ fluunt ex principijs: Huius habitus munus est præcipuum, ex posterioribus priora declarare, qui omnium absolutissimus, perfectissimisque habetur, appellaturq; *σοφία* id est Sapientia: quæ in uniuersalem, & particularem diuiditur, quarum prior in solum Deum cadit, unde Pythagoras uerè solum Deum

assequi dici debere asseruit. Posterior uerò circa particulare aliquod subiectum uersatur: & ex subiecti uarietate in diuersas species artium, ac scientiarum deducitur. Sic Medicos, & Archithectos sapientes solemus appellare, quasi in illa arte, quam tractant, præstantes, non quòd principiorum cognitionem solum habeant, aut quòd ea, quæ fluunt ex principijs incertis, & non satis recte intellectis deducere nouerint; sed qui utraq; ex se se inuicem manantia cognoscere, declarare, & docere possint. Sunt qui hanc Philosophiam in Naturalem, Mathematicam, & Methaphysicam, quæ prima etiam Philosophia dicitur, partiri soleant, quæ partitio ex triplici rerum existentium qualitate facile deduci potest. Aut enim ita materiæ adherent, ut ex ea diuelli neq; secundum substantiam, neq; secundum definitionem, rationemq; formalem possint, tales sunt res Naturales, quæ nullo pacto à materia possunt separari: aut ita sunt à materia remotæ, ut sunt diuinæ mentes, quas substantias separatas appellant, & ut est Deus gloriosissimus, qui actus est purissimus, omnisq; materiæ penitus expers. Quædam uerò sunt, quæ à materia seperari, & quæ minime seperari possunt, quo in genere Mathematicæ res continentur, quas in materia consistere necesse est, contingit autem secundum definitionem, rationemq; formalem seperari. Neq; defuere qui totam Philosophiam in tres partes diduxere in Naturæ scilicet obscuritatem, in differendi subtilitatẽ, in uitam atq; mores qua partitione tã Theoricẽ, quam Practicẽ complectuntur. Hæc partitio uidetur sumpta ex tribus illis dotibus, quibus animam nostram, ornatum esse asserit Plato intellectu scilicet, ratione & sensu, qua de re quia CAROLVS BRANCACIVS in sua lectione meminit, nunc id prætereundũ censo. Quidam Philosophiam partiti sunt in Moralem, Naturalem, & Contemplatiuã. Rationalem ex hoc numero reijcientes, quia in unaquaq; istarum innexa permanet. Nulla enim disciplina sine sermone potest explicari. Totius mudi partitio triplicem hanc Philosophiam indicat. Terra enim in qua res geruntur, & aqua terræ applicita uarijs uentorum procellis agitata Moralem indicat, in qua de animi perturbationibus sedandis agitur. Aër uerò undique circumfusis nascencia omnia, ac morientia in se completens Naturalem. At Aethereus ille uigor atq; ardor igneum sublimem locum nascus superarum rerum asserit contemplationem. Et si ad sacras litteras libet excurrere tres primarios uiros has Philosophiæ partes significasse comperiemus. Abrahamus enim, qui in omnibus Deo se obsequentem præstitit, & qui in peregrinis benigne accipiendis occupatur, multisq; alijs rebus peragendis, Moralem clarissimè ostendit. Isaac qui scientiæ puteos effodit, & qui terræ abdita adit, ac scrutatur, Naturalem. Iacob denique, qui diuinas mentes è caelo descendentes, & rursus in calum ascendentes uidit per altas illas scalas, contemplatiuam indicat. Adhuc sapientissimus Salomon tribus libris eandem uidetur expressisse. Nam Prouerbia Moralem, Ecclesiastes Naturalem, Cantica Diuinam exhibent. Neq; illud prætermittendum censo, antequam huic rei extremam manum impono. Quid sit quòd aiunt Socratem è caelo Philosophiam reuocasse. Incumbebant ceteri ad eam solum partem quæ de Natura adhuc est, propterea doctrinam quandam is excogitauit, qua quid bonum, quid malũ, quid honestũ, quid turpe esset, dignoscerent homines: qua in re optime uiuendi ratio consistit. Cumq; cognosceret ad eiusmodi præcepta tradenda rationibus opus esse, ut illis facile assentirentur, Dialecticam facultatem, introduxit, qua omnia facilius persuaderet. Inde effectum est, ut auctore Socrate triplex esset Philosophia, quæ antea in Naturæ tantum contemplatione uersabatur. is igitur è caelo Philosophiam reuocasse dicitur, quia eam e naturæ arcanis perquirendis ad id inuestigandum, quod bonum, & honestum est, conuertit. Philosophandi studiũ à Thalete primũ in Græciam inuictum fuisse scribant. Ex eoq; Ionice Philosophiæ nomen manasse, ut Italia à Pythagora. Is enim primus in Italiam Philosophandi rationem inuexit: neq; solum

hanc, sed etiam nomen. Nam cum is aliquando Philiatem uenisset, ibiq; cum Leonate Philasiorum principe docte, ac copiose permulta disseruisset, eius ingenium, singularemq; doctrinam admiratus Leon ex eo quaesuisse fertur, qua arte maxime confideret: At ille inquit artem se scire nullam, sed esse Philosophum, pluribusque uerbis indicauit, qui nam essent Philosophi, idest sapientiae studiosi. Quam rem Cicero innuit his uerbis. Pythagoras Philosophi nomen primus inuenit, cum ante eum sapientes & haberentur, & nominarentur, qui in rerum contemplatione studia ponerent. Recte enim affirmant sapientis nomen homini non conuenire, sed Deum solum dici debere: homines uero Philosophos, idest sapientiae studiosos. Eadem de causa Solon Salaminus aureum Tripodem sibi dono missum in sapientiae argumentum (sapientissimo enim omnium ex oraculo debebatur) ad Delphicum Apollinem deferendum curauit, quod soli Deo & possessionem, & appellationem perfectissimae sapientiae conuenire arbitraretur. Neq; immerito Poetae ex Iouis capite Mineruam sapientiae praesidem ortam esse fabulati sunt, quod scilicet Dei Opt. Max. sit propria. Neq; fas est mortalem quenquam eam sibi uendicare. Ex his principijs manasse putandum est Philosophorum Familias, quas Sectas uulgò appellant. Neque aliud secta est, nisi multorum decretorum inter se consentientium, & ad unum finem tendentium conuenerio. *uicinis* dicta est à Graecis, qua uoce utitur Cicero, cum ait. Cato in ea est heresi, quae nullam sequitur florem orationis. Larem appellat Horat, cum inquit.

Quo me duce, quo lare tuter.

Nullius addictus iurare in uerba magistri.

Philosophorum sectae nomina accepere uarijs de causis, sed ut plurimum septem modis distinguuntur. Nam uel nomen habent à Praeceptore, ut Socratici, Pythagorici, Epicurei: uel à ciuitate, ut Cyrenaici, Megarici, Elienses: uel à locis, ut Academici, Stoici, quorum alteri dicti sunt ab Academia, quam instituit Plato: alteri à Stoa porticu, ubi solebant philosophari: uel à Iudicio, ut Ephectici, quorum princeps fuit Pyrrho: uel à uitae genere, ut Cynici: uel ab aliquo accidente, ut Peripatetici, quos ita dictos uolunt, quod deambulantes philosopharentur: uel à studio eius rei, quam profitebantur, ut qui *philosophis* idest ueritatis studiosi dicebantur. Inter has familias praecipuae fuerunt Academica, Stoica, & Peripatetica. Academiae princeps fuit Plato, Stoicae Zeno, Peripateticae Aristoteles, Cyrenaicae Aristippus, Megaricae Euclides, Epicureae Epicurus, Cynicae Antisthenes. Deniq; quicumq; apud Graecos Philosophiae operam dabant, Philosophi dicebantur. Sed apud alias nationes ij, qui aliqua doctrina praestabant, uarie appellati fuere. Druidas Galli uenerati sunt, ad quos magnus adolescentium numerus doctrinae gratia confluxerat, & ad quos sacrificia publica, & priuata pertinebant. Horum meminit Caes. lib. 6. Belli Gallici, & Plin. lib. 16. cap. 44. Sed Dryidas appellat. Quod hi fuere apud Gallos, id fuere Magi apud Persas, Chaldaei apud Babylonios, Brachmanes apud Indos, Gymnosophistae apud Aethiops, Agrypaei apud Scythas, Heliopliotani apud Aegyptios, Arymphaei apud Hyperboreos, Tudertani apud Hispanos, Talmudici, Cabalei, Esseni, Saducei Pharisei apud Hebraeos, Samanai apud Bactrianos. Amplectamur ergo optimi Academicum humanam hanc sapientiam, quae Philosophia dicitur, Dei opt. Max. liberalitate hominibus tradita. Haec est enim uitae dux, uirtutis indagatrix, uitiorum expultrix, mater omnium benefactorum atq; dictorum, laudatarum artium procreatrix. Haec est animi cultura, quae omnes animi perturbationes tanquam noxias spinas extrahit, quae praeparat animos ad fatum accipiendos, quae sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, quae pellit timores. Hac comite uestigemus diuinam illam Sapientiam, sine qua nihil boni assequi licet. CHRISTVS est Sapientia patris, quae si ducet nostris rebus suscipimus, nemini dubium est, quin in terris felices, in caelo beati simus. semper ui. Suri.

MI.

ALTERA: CXXXVII
CAROLVS GRIMALDVS ANTONII CIVIS
HONESTISS. F.

Alteram de Geographia lectionem habuit in qua
Mathematicas disciplinas recensuit.

ANTEPILANVS.



I praecleara excellentis alicuius artificis opera singulari industria elaborata, summoq; ingenio perfecta in magnam homines admirationem traducunt semperq; nouam aliquam contemplandi occasionem exhibent, quoties ea uentur, exacteq; eorum singula inspicunt membra: quanto magis sua nos admirabili pulchritudine capiunt, alliciuntq; naturae opera, ac potius summi illius opificis, qui cuncta tanta arte composuit, ut non minus in paruis, quam magnis in rebus eius admiranda elucescat sapientia. Nihil enim est in templo hoc, quod in uemur: quod diuini illius radij portionem, quam pulchritudinem, siue diuinitatem licet appellare, in se ipso clausum non contineat. Quamobrem nemini mirum debet uideri, si omnes quicumq; acri ingenio praediti sunt, omni animi impetu ad tam praecleara Naturae munera contemplanda ducuntur, eorum uenustate allecti, ac deliniti, nihilq; praeter hanc diuinarum, humanarumq; rerum scientiam appetentes (Natura enim omnes pulchritudine capiuntur) suorum obliti commodorum huic contemplationi se tradidere, neminem felicem existimantes nisi eum, qui rerum admirabilium, & cogitatione dignissimarum notitia fuerit imbutus. Nam Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Haec sciendi cupiditas ut permultos inuasit, ita me quoq; deuinxit, eumq; diem atro notandam lapillo existimo, in quo non aliquid noui didicerim, uiderim, aut legerim. Quamobrem cum quotidie iuris dogmata, sapientiumq; uirorum scripta euoluerem (semper enim iuris peritiam artium omnium, optimarumq; disciplinarum magistrum censui, atq; parentem) cumq; in tam difficili, arduaq; facultate oblectationem aliquam quaererem, non male mecum agi arbitratus sum, si aliquando ex sapientium Iureconsultorum scriptis ad sapientissimi opificis opera singulari sapientia edita me conuerterem, Propterea malui tempus illud, quod ceteri uarijs ludorum generibus aut ceteris tribuunt uoluptatibus, in his Naturae muneribus consumere, ut aliquam mihi ex serijs rebus alleuationem quaererem. Itaq; excurrere libet interdum ad Mathematicas disciplinas, & ad Philosophiam ipsam: sic animus magnarum, & grauium rerum pondere defatigatus iucunda aliqua lectione recreatur. Quare cum HORTENSIVS PECTIVS iuuenis eruditissimus aliqua de Philosophia hic hodie & ornate & copiose dixerit, me incitauit, ut ipse quoq; aliqua de meo pecunia huc afferrem sed quae ad Mathematicas disciplinas pertineant, quando ad harum studia pertinet Geographia de qua hic hodie aliqua dicenda sunt. Huic enim rei hanc diem addixit nostrae Academiae praesul. Nostris ergo uos fauete incaeptis, ut hilare, quae de his rebus nostra sit sententia, liceat explicare. Quemadmodum Philosophiae nomen ex Pythagora effluxit: ita & Mathematices appellatio ex eodem manasse fertur. Siquidem Gellius triplicem asserit fuisse eorum ordinem, qui sub Pythagora proficiebant. Nam quidam *Auditores* dicebantur: idest auditores, qui ab ingressu silere, atq; audire tantum cogebantur, idque infra certum tempus pro aestimato captu solertia, quo tempore nihil percunturi licebat, quanuis non recte, quae ab alijs dicta essent, perciperent, neque commentari quae audierant, fas erat. Verum ubi &

tacere

tacere, & audire didicerant, atq; iam caperant esse silentio eruditi; tum uerba facere, & quæretæ, & quæq; audissent scribere, & quæ ipsi opinati essent, expromere potestas erat. Atque hi, quibus hæc permittebantur, μαθηματικὸς dicebantur, scilicet ab ijs artibus, quas iam discere, & meditari inceperant. Nam ueteres Græci Geometriam, Arithmetice, & Musice, cæterasq; disciplinas altiores appellabant μαθηματικά. Postea his scientiæ studijs ornatu ad perspicenda mundi opera procedebant, & Naturæ principia. Quo tempore dicebantur Φυσικὸς. Quæ ex re clarissime patet Mathematicas disciplinas ad Naturalem Philosophiam aditum præstare: primasq; pueris fuisse propolitas, ut μαθητὴν hoc est in his se tantisper exercerent, (non enim in linguis percipiendis tempus tebeatur) donec per illas tanquam per gradus ad maiora Philosophiæ studia redderentur idonei. Existimauit Anatolius Mathematicas disciplinas propterea sic appellatas fuisse, quod cum cæteræ uel non alio docete percipi possint, Mathematicæ nisi magistro monstrante intelligi minime possunt. Vnde M. Tullius quoque testatur Mathematicos in magna rerum obscuritate, recondita arte, multiplici, ac subtili uersari. Neque temerè ueteres illos & prudentes uiros instituisse cenfebimus, ut à teneris pueri in eiusmodi artibus erudirentur. Nam Mathematicæ disciplinæ ingenium excitant, & ueris in rebus pueriles animos consuefaciunt, obtinēt enim, ut recte Aristoteles admonet, primum certitudinis siue ueritatis gradum. Earum studia adeo ad Philosophiam percipiendam necessaria esse censuit Plato. ut in Gymnasij limine inscriptum haberet, ὁ δὲ δὲ γυμνασίου πύλοιο ἐκείνου hoc est Geometriæ imperitus huc non ingrediatur. Xenocrates quoque Chalcedonius Platonis auditor cuiusdam Mathematicæ imperito ludum suum frequentare cupienti dixisse fertur, Abi, cæres enim anis & adminiculis Philosophiæ. Constat Aegyptios sacerdotes in Mathematicis floruisse, ad eosq; tanquam ad sapientiæ mercaturam ex tota Græcia summos Philosophos accessisse. Refert Alexâder lib. 2. Dierum Genial. Aegyptios, & si pueros suos litteris, & bonis moribus erudiendos curarint, præcipuum tamen curam gessisse, ut in Arithmetica, in Geometria, & in Magicis artibus erudirentur. In his disciplinis plurimum præstitit Thales Milesius, qui primus circuli triangulum equalibus lateribus descripsit; tum scalenum, & ea quæ ad lineæ speculationem pertinent. Floruit & Architas Tarentinus Pythagoreus nobilissimus, qui primus Cubum reperit, ut testatur Plato in libris de Rep. Eius meminit Horatius libr. 1. car. ode. 28.

Extat Platonis ad eum pulcherrima epistola. Floruit & Democritus, qui scripsit de contactu circuli, & Sphæræ. Tum Plato ipse, qui has disciplinas ab Euclide, ab Archyta, & à Theodoro percepit: ex quibus arcanâ quædam inuestigauit ad rerum naturæ, & ad diuinitatem pertinentia. Propterea in Timæo animam ex numeris consistare asseruit, elementa ex figuris. Igni pyramidē aëri, octaedron, aquæ icosaëdron, terræ cubum adscribens. Earundem quàm studiosus fuerit Aristoteles, testantur eius scripta in quibus Mathematicas demonstrationes frequenter adhibet, tum quæ scripsit de Diuisibilibus, & Mathematicis: sic etiam Theophrastus eius auditor, qui scripsit de indiuisibilibus lineis. Quantū in his quoq; enituerit Archimedes Syracusanus testantur machinæ, quibus sæpe Marcelli conatus fregit: tum sphaera illa uitrea, quæ cælestium orbium motus imitatus est. Quod sic indicat Claudianus.

*Iura poli, rerumq; fidem, legesq; Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.*

Architæ uerò ingenij magnum specimen fuit lignea columba rotulis quibusdam agitata, certaq; ratione compacta, quæ in altum emissa uicentis columbæ instar perpetuò uolans per ipsum inane spiritu intus clauso ferebatur, Propterea magno in honore apud omnes fuit, si qui in Mathematicis præstiterent. Hinc Aristoteles Alexandrum

xandrum admonuisse dicitur, ut nihil unquam moliretur sine talium uirorum consilijs. Nihil enim recte fieri potest sine eorum opera neq; in urbibus condendis, neq; in castris muniendis, neq; in mœnibus oppugnandis, neque in exercitibus ordinandis, nec in pontibus struendis, cæterisq; permultis ad hominum usum pertinentibus. Tacet autem machinas, quibus onera tolluntur, tot tormenta bellica, quibus bella geruntur; tacet innumerabiles artes, quæ sine Mathematicis nullæ essent. Et ut aliquando ostendam quæ disciplinæ Mathematicarum appellatione continentur, scire nos arbitror, in hoc numero esse quatuor illas præcipuas, Arithmetice, Musice, Geometriam, & Astrologiam. Ex quibus subalternantes appellantur Arithmetice, & Geometria, cum nullis ipsæ indigeant scientijs, sed ad cæteras aditum præstent. reliquæ duæ subalternatæ dicuntur, quod Musice ab Arithmetice suppetias possit, Astronomia uerò à Geometria. omnes hæc disciplinæ uersantur circa quantum; quod cum sit duplex, uel discretum, uel continuum, considerari potest uel per se, uel per aliud. priori modo constat Arithmetice, quæ per se numerum considerat, singulasque illius partes percurrens par ne sit, an impar, diiudicat: posteriore fit Musice, quæ per aliud nimirum per Armoniam numeros exercet. Sic & quantum continuum duplex est. Nam quatenus in subiecto immobili positum est, ut in terra, & quidquid terræ ambitu continetur, Geometria complectitur; Cùm magnitudines & spatia consideret, quantum uerò continuum in subiecto mobili, ut in cælestibus corporibus Astronomia sibi uendicat, quæ illorum motus considerat, ut effectus & illa, quæ ex sideribus manant & fluunt ea, quam Astrologiam appellant. Inter omnes quatuor primus locus Arithmetice datus est: eius enim ope cæteræ indigent, cum ipsa se sustineat, ac taceatur nullius indiga. Huius artis inuentum Syris siue Phœnicibus adscribunt, semper enim mercaturæ studiosi extiterent, in qua disciplina hæc plurimum pollet. Pythagoras tamen numerorum scientiam primus apud Græcos illustrasse fertur eorum ratione, & characteribus inuentis. Theophrastus Eresius Aristotelis auditor de numeris librum scripsit: tum alterum de Arithmetice historijs. Romanorum iuuentum calculum edificere & computationibus operam dare consueuit; tanquam inde redundaret ingenij ratio exactissima, quod & Horatius testatur his uerbis.

*Noluit in Flauii ludum me mittere magni
Quò pueri magnis centurionibus orti
Læuo suspensi loculos tabularumq; lacerto
Ibant octonis referentes Idibus æra.*

Hic disciplinæ tantum tribuit Plato, ut aliquando interrogatus, cur homo animal esset sapientissimum? Quia numerare scit, responderit. cuius rei meminit Arist. in Probl. Idemq; in Epimenide inter omnes artes liberales, scientiasq; contemplatrices præcipuam, maximeq; diuinam numerandi facultatem esse existimauit. Ex hac fluxere Astrologia iudiciaria, Pyromantia, Hydromantia, Geomantia, Haruspicina, cæteræq; artes diuinatoriæ, quæ meritò à sacris Canonibus sunt reprobata. Hanc igitur cæteris disciplinis præponendam ueteres duxerunt ob eam causam, quod eius subiectum, in quo uersatur, maxime à materia distat, uersatur enim circa numerum separatum, & mente conceptum, ab omni materia seiunctum. Vnde etiam fit, ut ipsa minime alijs indigeat, cum aliæ sua munera sine ipsa obire non possint. Hæc proxima est Geometria, cuius subiectum est linea absolute considerata, hoc est sine additione materiæ, sed cum ea suapte natura consistere nequeat, nam in materia residere necesse est, eam ob causam proximum Arithmetice locum obtinet, nomenque habet à terræ mensura. Huius disciplinæ ortum Aegyptijs adscribunt.

Nam cum Nilus singulis annis abundans varias agrorum formas superducent, multæ & magnæ contentiones de agrorum finibus inter uicinos oriebantur, eas Geometria adminiculis necesse fuit componere. Nili enim effluxus agrorum limites perturbabat, delēbatq; aut immutabat signa, quibus agri distinguebantur. Testes sunt huius rei Herodotus lib. 2. & Strabo lib. 17. suæ Geog. Iosephus tamen tam Arithmeticen, quam Geometriam Hebræis adscribit lib. 1. Antiq. asseritq; Abraham Arithmetricam, & Astrologiam primum docuisse, quas facultates Aegyptij antea ignorabant versatur Geometria (ut inquit Cicero) in lineamentis, in formis, in interuallis, & magnitudinibus. Aegyptiorum Sacerdotes cum liberos suos liberalibus artibus erudiendos traderent, curabant in primis, ut in Geometria exercerentur, ut metari agros scirent, ubi limites Nili excursu confusi essent. quod etiam de Persis scribit Alexander lib. 2. Dierum Gen. c. 25. Hęc disciplina ab Archimede Syracusano maxime fuit celebrata, à Pythagora perfecta est, cum antea Mœris quidam eius elementarū initia inuenisset. Hanc etiam humanæ leges magnificiunt, nec respuunt, ut patet clarissime C. de Malefic. & Mathem. L. Artem Geometriæ: unde homines ad eam ediscendam cogi posse asserit Lucas de Penna in l. 2. C. de Excus. artif. Lib. x. Apud Iureconsultos (patiamini me illorum uti autoritate, quibus cum assidue uersor) Geometria Mensores appellatur, l. si irruptione. ff. de iudicio fin. regun. l. Geom. qui agros decempedis meriantur. licet Mensores secundum Vegetium, & Modestinum sunt qui in castris dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria erigunt, uel qui hospitia in ciuitatibus præstant, ut adnotant Alciatus in titulo de Mensores l. 12. Bartolus quoq; in sua Tiberina Geometricis utens figuris hanc facultatem iuris peritis uilem esse ostendit. Nec sacræ litteræ eandem cōtempserunt, in quibus scriptum est. Deus solus mensus est pugillo aquas, & calos palmo ponderauit, appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes. Et colles in statera. Et rursum, Manus quoq; mea fundauit terram, & dextera mea mensa est calos. Et sapientia ait. omnia in mensura, numero, & pondere disposuit Deus. Floruere permulti in Geometria, ut Anaximander Milesius, qui primus terræ marisq; circuitus descripsit. Xenocrates Chalcedonius, Heraclides Ponticus, Eudoxus Cnidius, & Architas eius præceptor, qui primi Geometriam uarijs cælaturis exornantes machinamentorum artem inchoauere, ipsiusq; Geometriæ rationes, difficilesque demonstrationes per sensum, & instrumentorum exempla edidit, in hos inuectus est Plato, quod Geometriæ dignitatem sustulissent, quiq; à cogitatione, & à rebus incorporeis ad ea, quæ sensibus percipiuntur, declinassent. Præstitere plurimum quoq; in Geometria Mercurius Trifmegistus, Pythagoras, Plato, Aristoteles, Euclides, Ptolomæus, Archimedes, Vitruuius, compluresq; alij, inter quos fuit Aristippus, qui ex naufragio in Rhodiorum littus maris impetu eiectus cum ibi geometricas quasdam figuras cōspexisset, gaudio gestiens profiliit, & bene sperare comites iussit, quoniam uestigia hominum nosceret. Ad hanc disciplinam pertinet Architectura, qua nulla ars hominum generi est magis necessaria, eius enim regula, ac iudicio probantur omnia, quæ à cæteris artibus perficiuntur opera. Hęc quoq; ducit secum Ophtham, siue Perspectiuam rationem, de qua multa sunt apud Euclidem. tum Picturam, & Statuariam, quæ lineis & figuris constant Geometrica ratione constantibus. Ducit denique Cosmographiam, Geographiam, & Chorographiam, quarum uocum gratia hæc diximus de Mathematicis disciplinis subalternantibus, nam de reliquis, quæ subalternatæ dicuntur, erit alias dicendi locus. Tum de ijs tractauit pluribus Ioan. Baptista Rinaldus in sua silua. Est igitur Cosmographia, ut uox ipsa indicat, mundi descriptio, cæli & terræ rationē cōtinens: terrena enim cum cælestibus connectit. Eius munus est indicare quibus terræ extantibus partibus quod cæli spatium secundum longitudinem, & latitudinem respō-

deat

deat. Hęc regiones, oppida, amnes, maria, montesq; enumerat, ut regionum terminos statuatur, quæ sint earū principia, qui fines, & sub qua cælestis superficie termini sint, demonstrat, quæ longitudo, quæ latitudo, præterea quæ Gnomonis, umbrarum que pro locorum latitudine differentium, unde breuitatis, & longitudinis dierum ratio manet, explicat. Adhuc quæ sidera sint polis finitima, tum quæ in Arcton, & quæ & in Austrum inclinent, eorundemq; ortus & occasus, qui locis diuersam latitudinem, & longitudinem habentibus uniformes esse nequeant. Considerat quoq; interualla, calores, & frigora, & simul aeris naturam obseruat. Adde instrumenta ad eiusmodi dimensiones attinentia, terræq; picturas cum debita Meridianorum Parallelorumque descriptione, quarum rerum ratio ad Cosmographiam spectat. Geographia hoc est terræ descriptio, ut uox indicat, ex Ptolemæi sententia est imitatio picturæ totius partis terræ cognita cum ijs, quæ sibi quasi uniuersaliter sunt adnexa. Huius propriū est unam & continuā terram cum partibus eius præcipuis formula quadā, ac picturæ imitatione ostendere, quemadmodum se habeat natura, & positio. Hęc in earum rerū descriptionibus uersatur, quæ iam deprehendi possunt, ut finuū, magnarumq; ciuitatū, gentium quoq; fluuiorum, itidē & circa ea, quæ secundū speciē cuiusq; maxime præstant. Sunt uerò aded inter se connexæ Cosmographia, & Geographia, ut altera sine altera mōca sit, propterea altera pro altera interdum usurpari solet. Est tñ Cosmographia acutior ac certior, cum certis quibusdā utatur axiomatibus: Geographia uerò rerum mutatione inconstantior. Nam sculorum decursu, multifariaq; illustriū scriptorum traditione nec semper consona sibi, nec certa est, cum locorū enumerationi historiam addat, atq; ut plurimum quæ ciuitatū, quæ gentium, quæ nationum, quæ populorum origo fuerit: atq; unde data sint rebus nomina, tum & illustria nonnūquam naturæ opera indicans in terræ situ multo uberior esse solet. Atq; ut ex his Geographia accommodatior est prudenti: ita Cosmographia sapienti. Est præterea Geographia historię pars essentialis, quæ dupbus nititur cruribus, quorū alterum si deerit, claudicans inambulabit. Sunt hæc, locus, & tēpus, omnia enim quæ geruntur, quorum historia narratio est, in loco & tēpore fieri necesse est. Propterea Geographia est exercituum ducibus apprime necessaria, ut regionum, montiū, fluuiorum situs nō ignorent. Adhuc hæc cognitio aut tātum accommodatior historię, eiq; tantū inseruit, quātum rerum gestarū narratio pro loci assignatiōe postulat. Ita sunt Liuianæ historię, aut simul cū historia aded connectitur, ut non facile sit cernere, an narratio sit historia, uel Geographica absolute, ita est apud Strabonem, Melā, & Solinū. Floruere in Geographia Timosthenes præfectus classis Ptolemæi Philadelphi, qui de portibus scripsit libr. x. Polemō Helladicus, qui de origine ciuitatū, Zappus qui de situ orbis, de fluuijs Africę, & cōmentarios in Ptolemæum, Marinus Tyrius, ex cuius libris multa mutuatus est Ptolemæus, Strabo, Plinius, Solinus, Pōponius Mela. Præstat tamē oibus Ptolemæus. Chorographia loca seorsum tanquā separata à cæteris picturę similitudine obseruata prosequitur. Differt Geographia à Chorographia tribus in rebus. Nā hæc per partes loca resecat seorsum singula, & unumquodq; iuxta se constituit, ac ferme omnia etiā minutissima illa quæ deprehendere possumus, describit, ueluti portus, uicos, populos, riualorū quoq; decursus, & quæcūq; alia his finitima sunt, ut edificia, domos, turres, mœnia, villas, suburbia. Geographia uerò unā & continuam terrā cum partibus eius describit. Quamobrē uersatur hæc circa totum, altera circa partē, ut si pictor aliquis aut rem tantū, aut oculū delinearet. Præterea uersatur Chorographia circa quale potius, quàm circa quantum, cū locorum peculiare similitudines conetur imitari. Geographia contra quandoquidem in oibus diligentem proportionis interuallorum rationē habet. Deniq; Chorographia indiget pictura: eam .n. nemo pictura imperitus digne exercebit: Geographia carere pot: nā per lineas et tenues, & per pūcta, quib⁹ ciuitates

GEOGRAPHIA

COSMOGRAPHIA

CHOROGRAPHIA

B signifi-

significatur, & ipsorum nominum inscriptiones potest earum situs, & totius orbis terrarum figuram exprimere. Illud quoque scire oportet, magnam affinitatem habere Chorographiam cum Sciographia, quæ est alicuius rei tam planæ, quam eleuatae formatio, umbris, & continua symmetria adhibitis: Geographiam uero cum Ichnographia, quæ est alicuius edificij, uel alterius rei prima delineatio. Adhuc & cum Chorographia consentire Topographiam id est loci alicuius descriptionem, quæ Historiæ propria est. Ita apud Sallustium est Cyrræ situs descriptio, Epidamni apud Appianum: Auarici apud Cæsarē, ut Topothesia Poëtarum, qualis est apud Virgiliū portus Africæ descriptio, & Regiæ solis apud Ouidium. Poetæ enim solent loca ficta interdum tam apte effingere, ut ea ita esse credas. Quamobrem cum magni sit momenti Geographia, incumbite ad eam Academici solertissimi: Nam situs orbis descriptio ad civiles usus magnopere confert. Neque parui ducendum est domi manentes totum terrarum orbem peruagari posse, ac quasi in ære erectos tanquam ex edita specula terras, maria, & quæ in his præclara sunt, prospicere. Sint uobis exemplo non minus in hac tam præclara facultate quam in cæteris Mathematicis disciplinis. MARIUS GALEOTA IOAN. PAVLVS VERNALEO IOAN. BAP. ET IOAN. VINCENTIUS PORTAE alijque permulti in nostra ciuitate florentes, quorum uestigia sectantes, non uereor quin magnum ex ea re fructum, laudemque sitis comparaturi.

TARQUINIUS PECTIUS IOAN. ALPHONSI

Viri clarissimi, F. aliquas dubitationes circa terræ descriptionem occurrentes hac lectione explicauit.

PRAETORIANVS.

INTER omnes mundi partes, quacunque caelorum immensis clauduntur orbibus, & quas sensuum beneficio inuestigare, atque inspicere datur, & si omnes suis quibusdam ornamentis predictæ sunt, nulla tamen pluribus dotibus referta uideretur, quam tellus ipsa, in qua tanta rerum inest uarietas, ut eas enumerare liceat nemini. Quis enim tot florum, herbarum, fructuum, frugumque copiam, quibus uestita est, dignè poterit admirari, nedum recensere? Quis tot aromatum, ac medicamentorum genera, quæ ad hominum salutem sustinendam, ac seruandam assidue elargitur? Quis fontium ex ea manantium gelidas perennitates? Quis perlucidos amnium liquores, qui eam irrigantes fecundam reddunt? Quis riparum uestitus uiridissimos? Quis speluncarum concauas altitudines, saxorum asperitates, impendentesque montium proceritates, immensitatesque, camporum? At hæc omitto. Quanti sunt tot, tantarumque belluarum & cicurum, & ferarum agmina? Quanti in tantarum piscium, qui ex terra cibum sibi comparant, tum eorum, quæ natiuis testis conclusa saxis inhaerent, portentosa multitudo? Quanti uolucrum infinita uarietas? Neque permittenda sunt, quæ in suis uisceribus recondit, incredibilis enim illa auricopia, argenti, cæterorumque metallorum, immensa uis marmorum, quibus tot moles uel fulciuntur, uel ornantur, innumerabilisque gemmarum uersicolorum uarietas an non omnem superat contemplationem? Iure igitur Poetæ eam Deorum matrem finxerunt aptisque pluribusque insignibus nominibus decorandam censuere modò Rheam appellantes *ἠὲρ ἡβῆ*, quod ex ea omnia fluant, modò Opim, quod eius ope omnium uiuentium uita sustentetur. Nunc Pandoram, quod omnia suppeditet dona ac munera ad animantium uitas alendas. Nunc Vestam, quod ui sua stet: nunc Cybelen *ἠὲρ ἡβῆ*, idest à cubo, quod ueluti cubus firma ac stabilis maneat in media

media mundi sede. omitto quod & Cererem, & Tellurem, & Bonam, & Magnam matrem eam quoque dixerint, & pro numine coluerint. Nam & Plato Deam Deorum antiquissimam appellauit, cum tot rerum, atque animantium genera terra una produceret, in seque ipsa clauderet. Pythagoras quoque, ut Arist. refert, hanc unam esse stellis arbitratus est. In hac igitur tam præclara, tam multiplici, tam uaria mundi parte nostra uersabitur oratio. Permulta sunt quæ de eius situ, natura, forma, ambitu, partibus habitatoribus, aliisque compluribus terræ adnexis quaeri solent. Et ut aliqua singillatim percurram, in quaestionem uenire solent, & à doctis uiris disputari. An sit terra in media mundi sede locata? Quiescat ne, an moueatur? An plures terræ inueniri possint? An eius centrum sit unum cum centro totius? An sit elementorum grauissima? An respectu caeli sit tanquam punctum? Quæ sit causa efficiens quietis terræ? An generabilis & corruptibilis? Facta ne sit, an principio careat? Quæ sit eius figuram? Quid potius in ea præset, frigiditas, an siccitas? cui elementorum maxime aduersetur? An & quomodo ueniat in mixta? Quid sit terræ motus? An sit prima corporum, ut arbitratus est Hesiodus? Quis eius color? Quæ pars supera, quæ infera? Quæ dextra? quæ sinistra? cur terra & aqua putrescant, non aer & ignis? An terra aquæ innatet? an terra feruentior sit odorator? Sunt hæc quaestiones Philosophorum propriae, earumque pleraque ab Aristotele in sua Philosophia explicantur. Sed cum in alienam messem non liceat falcem immittere, præceptumque illud sit, ne sutor ultra crepidam, eam ob causam nos eas tantum proponere, & explicare fas est, quæ ad Geographiam spectant, earum tamen aliquas à Philosophis ab ipsis tamen petita uenia, mutuabimur. Inuestigare enim de ea primum oportet. Qui sit eius locus, quæ forma, quæ longitudo, quæ latitudo, qui ambitus, quæ partes. quæ omnia, si per tempus dabitur, quam breuissime poterō, expediam. Et, ut quod primum propositum est, absoluiam. Terram medium, atque infimum Vniuersi locum obtinere constat ferè apud omnes, nec dubijs, ut Plinius inquit, argumentis, sed clarissime Aequinoctij paribus horis: nam nisi mediam occuparet sedem, æquales dies noctesque contingere non possent. idem probant & Astronomi, tum quia æque distat à caelo, cuius rei signum est, nam ubicunque aliquis fuerit, semper astra uidentur eiusdem magnitudinis esse, nisi ferè halitus intercedant; tum quia singulis horis 15. gradus Aequatoris supra terram ascendunt: tum etiam quia in omni die artificiali sex signa oriuntur, & sex occidunt. neque possent aliter contingere solis & lunæ deliquia in coniunctionibus. & in oppositionibus. Illud etiam confirmat, terram esse in media mundi parte, quia est omnium grauissima. Grauitatem enim causam esse, ut ibi sit terra probat Arist. 2. caeli quia ad centrum feruntur, quæ grauius sunt. Infimum ac medium uniuersum locum terram occupare indicauit Ouid. cum inquit. Met. 1.

TERRAM
mediam
mundi lo-
cum oc-
cupare.

*Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui.*

Quod uero ad terræ formam spectat, eam esse rotundam constat primum ex nomine: orbem enim terrarum, & globum uulgo appellant. Idem indicant & sidera non eodem tempore omnibus hominibus diuersa loca incolentibus orientia, & occidentia, quod ex terræ tumore fieri putandum est. Idem testantur & sidera, quorum alia sunt semper nostris oculis subiecta, alia semper latentia: nihil tamen id clarius monstrat, quam lunæ defectio, quæ in suo labore citius ab ijs conspicitur, qui ortui sunt propinquiore, quam ab ijs, qui magis uergunt ad occasum, quod & Plinius confirmat lib. 2. Nat. Hist. c. 70. cum ait. Nobili apud Arbela magni Alexandri uictoria luna defecisse noctis secunda hora prodita est, eademque in Sicilia exoriens. Nam cum Assyrii sint magis orientales, quam Sicili sol illis citius occidit, quam his.

TERRAM
FORMA

Quamobrem cum esset secunda hora noctis in Assyria, tunc sol occidebat in Sicilia. Idq; sit ex terræ rotunditate. Quod si plena esset, simul omnia cunctis apparerent, noctesq; non fierent inæquales. Sphæricam esse terram ex eâ re probat Arist. quoniam lapides cadentes ex diuersis partibus decidût super angulos rectos, idq; sit, quia omnes idem punctum affectant scilicet centrum. Terram rotundam esse agnouit Homerus, cum eam appellauerit *Απειρα*. i. infinitam, quia sit *σφαιροειδής*, ac *σφαιροειδής*. Non defuere tamen qui aliam figuram terræ assignarint. Nâ Democritus oblongam statuit, *σφαιροειδής* idest mensæ similem Hipparchus. *σφαιροειδής*. i. fundæ similem Possidonius, & Dionysus, quorum sententias acriter insectantur, multaq; absurda sequi probant tã Arist. quam Ptolomæus, alijs; de hac re pertractantes. Neq; aliquem moueant camporum immensitates, aut impendentium montium altitudines, quo minus eam rotundam esse arbitretur. Nihil enim hæc sunt ad eius magnitudinem: neq; enim depressæ ualles, aut latissimi campi, aut altissimi montes si cum totius terræ globo conferantur, eius rotunditatem impedire possunt. Neq; enim, inquit Plinius, absoluti orbis est forma in tanta montium excelssitate, tanta camporum planitie, sed cuius complexus si capita linearum comprehendantur ambitu figuram absoluti orbis efficiat. Vbi per linearum capita intelligere oportet linearum extrema, quas à centro terræ ad eius ambitum porrectas mente concipimus. Quod uerò terra, si eum cælo ipso comparetur, puncti instar habeat, illud indicio esse potest, uel quod æque distat à cælo, ubi terrarum maneat, stellas eadem magnitudine præditas cõspicias, uel quia in quolibet die artificiali sex signa oriuntur, & sex occidunt, quod fieri nõ possit, nisi esset in medio, & tanquam punctus se haberet, testatur idem solis, & lunæ oppositio, quæ res cõtingere minime possit, si terra ad aliquam cæli partem propius accederet. Quod uerò aduersus quorũdam opinionem nullo pacto moueatur, illa probare possunt, quod uel moueretur recte, uel in gyrum, si enim recte moueretur, medium mundi relinqueret locum, quem semper obtinere ex ijs, quæ diximus, satis probatum esse arbitror, deinde si super mundi axe circum ageretur, quæ in aere mouentur, semper in contrariam partem moueri uiderentur. terræ enim celeritati paria esse non possent. pondera præterea sursum proiecta in eundem locum, unde emissã sunt, non relaberentur. leuitatis est putare terram, ut pomum, aut lignum fluitans super undas extare. Neq; enim fieri potest, ut quod grauius est, in undis fluctuet, terram enim, ut quæ aqua est grauior, in eam demergi uideamus. Quamobrem terram cum aqua unam superficiem habere putandum est, atq; ex duobus corporibus unum coalescere, terræq; faciem, quæ in undis eminet, ita extare, ut ex ea, & circumfluentibus undis rotundum corpus, atq; in se ipsum recurrens undiq; constituatur. Reijcere quoq; oportet illorum opinio nem, qui terræ portionem maiorem sub oceano delitescere existimarunt, minorem uerò undis liberam ad animantium usum supra aquas eminere sine septemtrionalium quarundam stellarum uirtute, siue ob terræ ipsius siccitatem, siue diuina prouidentia. nam solertium nauigantium iudicio, ac peritia iam compertum est, maiorem terræ superficiem super undas extare, minorem uerò aquis tegi. Aquam uerò terræ additam esse, ut eius siccitatem temperaret, indicat Plinius his uerbis. Quod ita formasse artifex natura credi potest, ut cum terra arida, & sicca constare per se, ac sine humore non posset, nec rursus stare aqua nisi sustinente terra, mutuo implexu iningeretur, hac finis pandente, illa uerò permeante totam intra, extra, supra uenis, ut uinculis discurrentibus, atq; etiam in summis iugis erumpente, quo spiritus acta, & terræ pondere expressa siphonum modo emicat, tantumq; à periculo decidendi abest, ut in summa quæq; & altissima exiliat, qua ratione manifestum est, quare tot fluminum quotidiano accessu maria non crescant. Hæc Plin. lib. 2. Nat. hist. c. 65. Mirabitur quispiam fortasse, cur elementa tam gratia terra scilicet, & aqua in aere quasi suspensa se

TERRÆ
QVANTITAS

TERRÆ
QVIES.

Dubi-
tatio de

susti-

sustinere possint, quam rem Poetarum princeps Homerus significare uidetur, cum Inonem aurea catena pendentem finxit, eiusq; pedibus duas incudes alligatas. neque aliud indicat Iuno, nisi aerem ex quo tanquam grauissima incudes terra & aqua dependent. Sed cum iam supra statutum sit terram & aquam esse corpora grauissima, naturaq; ita comparata esse, ut, quod magis corpus aliquod grauitate pollet, tanto magis ad centrum accedere nitatur, hinc cuiq; patere debet, terram & aquam suum locum obtinere, qui infimus est, & à cælo remotissimus. Nemini igitur mirũ uideri debet, tam graui corpora ueluti in aere suspensa morari: neque enim uis aliqua, neque cælorum agitatio, quod quidam existimarunt, ibi ipsa detinent, sed propria sedes, mundi scilicet medium, in quo quiescunt, & unde nullo pacto dimoueri possunt. Sed ea res quoq; solet hominum mentes sollicitare. Si terra suapte natura grauitate aquam superat, cur non tota contegatur aquis, sed pars lateat, pars emineat? Quod uerò aqua terram tegere deberet, ea ratio cogit, quod ipsa quoq; orbicularis est. Idq; ea res primum indicat, nam polus mundi, ut in terris, ita in mari pro locorum diuersitate nauigantibus eleuatur, & deprimitur, cuius rei nihil aliud causâ esse potest, nisi tumor aquæ eandem rotunditatem omogeneorũ corporum ratio probat. eorum enim partes totius naturam sequuntur. Aquæ enim partes cum sphericam ament figuram (indicio sunt rorès, & guttæ, quæ in herbis, & in arborum folijs, uel in puluere sunt) eius quoq; superficiem sphericam esse putare oportet. Rotunditatem hanc simul & aquæ locum terra magis excelsum agnouit Virg. cum Mnestem littus petentem facit his uerbis.

terra, &
aqua.

CVR tota terra nõ tegat aquis.

Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.

Sciebat enim uates doctissimus, quod longius à littore recedis, hoc maris superficiẽ terra altiore inueniri: propterea decurrendi uoce usus est. Idẽ quoq; uidetur ostendere ex montium aspectu, quorum iuga e nauigantibus primum uideri solent, cum ad littora contendunt. quemadmodum è portu recedentibus littoris aspectus primum, postea arcium, collium: denique altissimorum montiũ iuga subtrahuntur. vnde Virg.

Prouehimur portu, terræq; urbesq; recedunt.

Et rursus

Postquam altum tenuere rates: nec iam amplius ulla

Apparent terræ, cælum undiq; & undiq; pontus

Nec minus & id, quod diximus, antea ita expressit, quod montes primum appareant.

Quarto terra die primum se attollere tandem

Uisa aperire procul montes, ac uoluere fumum.

Et rursus.

Iamq; rubescebat stellis Aurora fugatis

Cum procul obscuros colles, humilemq; uidemus Italiam.

ubi humilem appellat Italiam, quod humilis & depressa uideretur, cum mare terra altius existimetur, uel *συνεδοχικῶς* partem totius nomine intelligit. Iapygiam enim inquit, quæ molliter accliuis in Lacinium se reflectit. Cum igitur probatum sit aquam terra altiore esse, meritò in dubium uertitur, cur terra tota non contegatur aquis? Afferunt Mathematici duplex cẽtrum esse magnitudinis alterum, grauitatis alterum. censent enim terram non æque in qualibet sui parte grauem existere; sed alicubi cauam magnis antris, ac specubus refertam: cuius rei indicio sunt magni terremotus, alibi uerò solidam, constipatam, & densam, eamq; ob causam ipsius partem aliam grauitate sperare. Qua ex re inferunt terram iuxta eius magnitudinem non æque ubiq; grauem esse, grauitatisq; centrum non ibidem existere, ubi magnitudinis, quod cum ita sit, propterea contingere aiunt, ut aliæ terræ partes sint eminentiores, aliæ depressiores. Astrologi id tribuunt quibusdam sideribus in polo Arctico existentibus, quo-

rum

rum uirtute fieri asserunt, ut aquæ arceantur, ne terrâ operiant. Philosophi, ut refert Contarenius, id tribuunt omnium siderum radijs, qui cum in terram conueniant, sua uirtute efficiunt, ut terra rarefcat, & intumescat quasi fermentatione quadam, quod quotidie fieri cernimus in panis confectione à pistoribus fermento appposito. quin & omnis ratio colendorum agrorum ad hoc præcipue spectat, ut arationibus, ac sterco rationibus terram fermentet, raremque efficiat, ac peruiâ aëri, aque, ac solaribus radijs ut harum rerum omnium mixtione, & opera ali, generariq; ualeant fruges, & plantæ. Theologi, quorum sententia semper est uerissima, ut cætera omnia, sic etiam hoc diuinæ potentia adscribunt. Idque factum esse asserunt perfectorum animalium salutis causa, quæ ob spirandi facultatem, naturæque eorum qualitatem, aliter neque uiuere, neque ali, neque generari possent. Idque Moles confirmare uidetur, cum asserat, in mundi primordio Spiritum Domini ferri super aquas, postea aquis, quæ terram operiebant, inperasse, ut recederent, terramque apertam relinquerent. Id admirans diuinus uates almo spiritu afflatus inquit. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi, Abyssus sicut uestimentum amictus eius super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à uoce tonitruui tui formidabunt, ascendant montes, & descendunt cæpi in locum, quem fundasti eis terminum posuisti, quæ non transgredientur, neque conuertentur operire terram. & rursus, idem ait. Qui fecit cælos in intellectu, Qui firmauit terram super aquas. Quid clarius, quid uerius dici possit, nõ uideo. Sunt tamẽ qui asserant huius terræ, quam incolimus superficiem mari eminentiorem esse, indicio sunt flumina, quæ undiq; in mare defluunt, tum etiam terra inter duo maria sita, nam in media parte plurimũ assurgit, sensim uerò utrinque uersus maria demittitur. Quod si ita est, cessat ambiguitas, credereque oportet, ex terræ partibus alias eminentes esse, alias depressas, ipsamque terram instar spongiæ habere, cuius cauitates, & infimas partes aqua occupauit. Sequitur modò, ut aliqua dicantur de terræ ambitu, & an circui possit, tum etiam de eius longitudine & latitudine, denique explicanda sunt uoces quædam ad Geographiam pertinentes. Terræ autem ambitum per arcum indagare uelle furor est, & si recta linea, seu per chordam, ut uulgò aiunt, ex cæli ambitu id assecuti uidentur Astronomi. Aiunt enim singulis cæli partibus, quas gradus appellant, respondere in terra D C C. stadia siue L x x x v i j. miliaria cum dimidio, quæ per c c c l x partes, in quas cælum distributum est diducta 31500. miliaria italica efficiunt. Idque ex opinione Eratosthenis, quem primũ terræ ambitum inuenisse scribit Vitruuius. Sed aliter Ptolemæus, qui ut Geog. lib. i. adnotauit, Terræ Hemispherium ab ortu in occasum 11000. & 250. millibus passuum constare asserit. cui libet cæli particula D assignans stadia, hoc est 62. miliaria Italica cum dimidio. Vnde ex ipsius opinione totius terræ ambitus erit 2250. miliarium. secus alij, quos arbitror in enumerandis stadijs & miliaribus diuersa sensisse fortasse ob mensurarum diuersas rationes, cum apud diuersos populos diuersi sint metiendi modi ac instrumenta. Sed quæri solet, an totus hic terrarũ & maris globus circui possit. Strabo Australe pelagus propter intolerabilem æstum, Boreale quoniam frigore concretum esset, minime nauigari posse putauit. Solinus uerò Iubæ testimonium afferens asserit totum meridionale Africae latus quod ad extremas Mauritanie oras excurrit, circumnauigari posse: & si complures propter nimium solis ardorẽ id minime fieri posse existimari. Plinius id quoque affirmat asserens Hannonem à Gadibus ad Arabiae fines peruenisse, eamque nauigationem litteris mandasse. tum in Arabico sinu Cæsare Aug. filio imperante signa nauium ex Hispaniensibus naufragijs cognita fuisse. Idẽ quoque asserit Metello celeri Gallia proconsuli Indos quosdam à Sueuorũ rege traditos fuisse, qui ex India commercio causa nauigantes tempestatibus iactati in Germaniam uenerant. Apud Othonem scriptam inuenimus sub Imperatoribus Theutonicis Indicam nauẽ, & negotiatores

TERRÆ
AMBITVS

AN
TER
RE, & Ma
ris glo
bis cir
cui pos
sit.

tores Indos in Germanico littore deprehensos esse, ab orientali plaga profectos, quod contingere non potuisset, si septentrionale pelagus glacie esset concretum. Quare ad uersus Strabonis sententiam ex his autoribus patet terrarum orbem circui posse. Neque meridionalem æstum, neque Boreale frigoris huic rei impedimento esse confirmant idẽ quæ de Magellanico Lusitano circumferuntur. Is enim è Lusitania profectus occidentem uersus ad Fortunatas insulas uenisse dicitur, inde in Americam: postea ad Fretum quod ab eo nomen habet, cum ipse primus illud adierit: tũ ad Maluccas insulas omni aromatum genere abundantes, sed eo ibi mortuo una ex nauibus, quæ cum eo erant profecta, ex orientali littore solueus per Indicum mare, & per promontorium, quod uulgò Caput Bonæ spei appellant, lustratis Africae littoribus rursus post tertium annum, quam profectio erat, in Hispaniam redijt, quæ ob eam rem nauis Vittoria est appellata, quod ex quinque illis, quibuscũ Magellanicus soluerat ex Hispania uarijs casibus amissis, hæc una incolumis in Hispaniam redijt. Terræ uerò longitudo ab oriente in occasum progreditur, (scitis enim quatuor esse præcipuas orbis partes, quas Gellius cæli limites, seu regiones appellat: quidam Cardines, Ortũ scilicet, Occasum, Meridiem, & Septemtrionem) latitudo uerò est à Meridie in Septemtrionem. Idque ea causa factum est: nam habitabilis terræ pars, quæ exacte cognita est, ab ortu ad occasum maior est duplo, quam ea, quæ à Meridie in Arcum, illa enim iuxta Ptolemæi sententiam 180. Gradibus cæli respondet. Latitudo uerò 63. cum tamen à nostris neotericis 17. partibus additis, ea ad 80. gradus producta sit. Sumitur longitudinis initium à Fortunatis insulis, id est ab occasu: uel quia inde Planetarum proprius motus incipit: uel quia orientalis regio non æque itineribus explorata erat, ut Occidua, uel quia Oceani aquis illic terra terminari uidebatur. Latitudinis uero exordium est ab Aequatore usque ad Thulen insulam, quam non ab re poëta ultimam appellauit, & si neoterici ulterius progressi sunt. Id putauere Prisci esse superius Hemispherium, nam inferius aquis tegi existimauerunt. Totam uerò terrã diuisere ueteres in tres partes præcipuas in Europam, Africam, & Asiam. Europam ab Africa mediterraneũ mare disternat, ab Asia Tanais fluius: Africam uerò ab Asia Nilus diuidit, Ptolemæus connectit Asiam cum Africa per dorsum Arabiae, quod nostrum mare ab Arabico sinu excludit, quod ea de causa se fecisse asserit, ne Aegyptũ Nilo amne se inderet. Europam dictam uolunt ab Agenoris filia eius nominis, quam dicunt Iouem rapuisse. Africam ab Afro Herculis filio, uel ab Afer Noe filio uel nepote, uel quod frigore careat; Asiam uerò ab Asia Nympha Oceani & Thyos filia, quæ in illis locis imperium obtinuit: Hæc terminatur à Septemtrione Boreali Oceano, à meridie sinu Erythraeo, & Indico Oceano, ab occasu mediterraneo, ab ortu orientali oceano. Amplissima hæc terræ regio est, & rerum omnium ubertate insignis, dissecaturque à Ptolemæo in xij. tabulas, & in xlviij. Prouincias. Proximum huic sibi locum uendicat Europa, quæ urbium, & ædificiorum magnificentia, armorum, uirorum, artium, ac disciplinarum præstantia longe antecellit, undique fere mari clauditur, eam Ptolemæus partitur in x. tabulas in xxxiv. prouincias. Tertiũ locum Africae assignant, quæ ferè instar Peninsulae se habet cum circum mari claudatur, & Isthmo tantum Asiae adhaeret, tota ferè sub torrida Oceano est collocata, propter quod magna ex parte est arenis obducta, aquarum indiga, seuissimis feris abundans, & cultoribus uacua, & qui in ea incolunt, magna ex parte sunt nigri, aut fusci, turpes membrisque læsi. Hanc regionem Ptolemæus diducit in quatuor tabulas & prouincias xj. At Neoterici his tribus partibus addidere quartam Priscis incognitam, quam Antipodes incolere dicuntur, eam in duas peninsulas diuisam aiunt, nostrumque orbem ab ea superari latitudine, ut quæ in Antarcticum per L i i. gradus cum dimidio protenditur. Eius inuentionẽ Christoforo Colombo acceptam referunt Anno à Christo. ∞ ID, XCI. cum antea incognita esset, & si quidam aiunt

TERRÆ
longitu
do, & latitudo.

TERRÆ
partes.

aiunt Carthaginenses illic tempestate actos penetrasse, & Plato per multa finxit de insula Atlantide. Sed præter cæteros de huius regionis situ, ac populorum moribus per multa scripsere Patres quidam I E S V I N I collegij qui morū sanctitate, & multis miraculis nitentes rudes illos in CHRISTIANAM fidē rededere, rediguntq; in dies CHRISTI Dogma admirabili eloquentia prædicantes, & uitæ integritate plurimum proficientes. Sed redeo ad terræ diuisionem, quā rursus una cum mari considerantes quadrifariam partiti sunt, in cōtinentem, Insulam, Peninsulam, & Isthmum. Est continens terra solida tota sibi constans & coherens. Tales dicunt esse Mysiam, Pannoniam, Galliam, Syriam, Armeniam. Insula est quæ à maioribus terræ partibus seiuncta undiq; aquis alluitur: tales sunt Rhodus, Sicilia, Creta. Ptolemæus enumerat x. Insulas insignes inter quas primum locum Taprobana obtinet, ei proximum Britannia, tertium Hibernia, quartum Sicilia, quintum Sardinia, sextum Corsica, septimum Creta, octauum Cyprus. Peninsula uerò seu Chersonesus neq; insula, neq; cōtinens est, sed undiq; ferè aquis clausa, aliquo tamen iugo continenti adnectitur. Peninsulæ quatuor insigniores numerantur. Peloponessus totius Græciæ arx, Aurea chersonesus, in mari Indico meridionali sita, Cimbrica, quæ in mare Germanicum se extendit, Taurica Chersonesus, quæ in Pontum Euxinum circa Bosphorum Thracium excurrit. Eodem in numero Italia haberi potest, & tota Africa, ut diximus, quæ undi que mari alluitur, una partē continenti annexa. Isthmus dicitur terra inter duo maria conclusa, quæ iter ad Chersonesum porrigit. Talis est Corinthiacus inter Achaïam & Peloponessum, quem nauigabilem reddere tentauit Demetrius Rex; postea Cæsar Dictator, C. Princeps, & Domitius Nero, in fausto omnium exitu, ut testatur Plin. lib. Nat. Hist. 4. Atq; ut Isthmus dicitur terra conclusa intra duo maria, ita Bosphorus dicitur mare intra duas terræ partes contentum, ut est Bosphorus Thracius, & Cimberius, quod uerò assiduo fluxu, & refluxu agitatur Fretum dicitur à latinis Græci *ῥωπιδι* dicunt. Tale est Fretum Herculeum inter Abylam, & Calpen, Hispaniæ & Mauritaniam montes, sic Fretum Siculum inter Italiæ extremam oram, & Siciliæ. Montuosa uerò terra, quæ in mare excurrit Promōtorium appellatur, ut Promōtorium Sacrum, ut Lacinium & alia. Acra Iagygia, & Acrocerania inter promōtoria recensentur. Sunt uerò Sinus curua litora, Portus autem loci iuxta mare conclusi, quo merces in portantur. Sunt & alia nomina ad Geographiam pertinentia ut Fōtes, Flumina, Lacus, Paludes, Stagna, aliaq; similia, quæ cum omnib. nota sint, nulla indigent explicatione. Libuit Geographica hæc rudimenta attingere, quæ & si leuia sunt, magni tamen momenti esse cenleo ijs, qui Geographiam ingrediuntur. Tempus uerò iam admonet receptui canere, ut detur alijs suis dicendi locus.

CAESAR BRANCACIUS TIBERII F.

Quattam habuit lectionem, in qua egit de Climatibus, & Zonis, & populorum differentiis, alijsq; rebus ad Geographiam pertinentibus.

MAGISTER EQVITVM.

NEMINI dubium esse arbitror Academici solertissimi, non minorem parari doctrinam ex assidua multarum, & magnarum rerum lectione, quàm ex plurimarum & incognitarum regionum peragracione. Si quidem ad exteras oras excurrere, uarios montes superare, multa flumina traicere, diuersosq; populos adire plurimum ad comparandam sapientiam confert. Id cum optime uideret ille ingeniorum pater Homerus, qui & ipse multa orbis terrarū loca, frustra

strauerat, non aliā ob causam magnā Vlyssi sapientiam tribuit, quod multos hominū mores nouerat, & quod multas urbes uiderat. Miris quoq; laudibus poetæ Herculem tollunt, quod Aegyptum, Afcicam, Hispaniam, Galliam, Italiam peragravit, quodq; uarias prouincias uarijs, plurimis, immanissimisq; mōstris expurgauit. Virgilius quoq; per quæ maria, & per quæ regiones suum Aeneam duxerit, non ignoratis. Neq; enim unquam uerū esse puto, quod ait Eratosthenes poetas oēs non docendi, sed delectandi gratia per multa effinxisse, Doctos enim uates diuino numine afflatos nihil temere, nihil inepte effinxisse putandū est. Id igitur eos fecisse credemus, ut indicarent, uaria loca adire, populorum & uariarū gentium mores, leges, & instituta inspicere nō parum ad sapientiā conferre. Vnde Nestor apud Homerū gloriatur, quod longe uenerat uocatus à Lapithis: idē & Menelaus quod Cypriū, Phœniciā, Aegyptū, Aethiopiā, tum Sidonios, & Erembos, Libyamq; uiderat. Nec minus apud Virgiliū gloriatur Aeneas tot maria intrasse Apolline duce, Massylum gētes, prætentaq; sÿrtibus arua. His de causis Geographiā, qua orbis terrarū regiones, populorumq; mores describunt, apprime utilē & ad prudentiā, & ad ciuiles actiones & ad alia per multa semper existimauī, ut quod re ipsa loca peragrātes assequi non possumus, id eorū quæ ab alijs tradita sunt, inspectione cōsequamur. Quare non possum non magnopere probare Academicis hoc uestrū institutum, qui tam diligenter ut ad oēs præclaras artes, ita ad hanc Geographiæ facultatē incumbitis, qua in re quantum profeceritis, indicio fuisse sermones de terræ situ, magnitudine, ambitu, & partibus hīc hodie habiti non minus doctè, quàm eleganter, & copiose. propterea accendistis me quoq; ut aliquid ipse de eadē re (quandō hæc studia me ī primis delectant) in mediū afferrem. Neq; n. decet ex hoc symbolo asymbolon discedere. Dicā igitur ut potero, aliqua ad Zonas, ad climata, ad Parallelos pertinentia: tum ad populorum habitationem, & si per tempus licebit, soluentur problema huic rei accommodata. Vos fauete orationi meæ pro humanitate uestra. Explicata fuisse ab Academico nostro quæ ad terræ naturam & ad eius partes essentielles pertinebant: propterea nunc profequi oportet accidentia quædam ei; adnexa, tum ex caloris & frigoris ratione, tum lucis ac noctis uarietate, tum populorum habitationis inter se habitudine. Sunt quædam terræ loca, quæ perpetuo torrentur ardore, sunt quæ assiduo gelu infestantur & imbri. alia temperie fruuntur. propterea in quinque Zonas fuit terra distributa. Sunt autē Zonæ interualla quædam seu spatia quibus æstus, rigor, & tēperies in terris distinguuntur. Cinguli à Cic. dicuntur, & interdū Maculæ, ut vj. de Rep. & oræ, ut Tuscul. A Virg. & ab Ouidio, Zonæ & Plagæ, sunt hæc quinque numero, quarum media maximo solis ardore torretur, extremæ duæ sunt glacie cōcretæ, atq; Imbribus atris, Inter has duæ tēperate, respondentq; hæc quinque terrestres plagæ quinque illis, in quas Astronomi cælū ipsum distribuere quatuor parallelis, duobus scilicet Tropicis, & Arctico, & Antartico. Cælestes Zonas Virgilius describit Geor. i.

Quinque tenent cælum Zonæ, quarum una corusco,

Semper sole nitens, & torrida semper ab igni. & c.

Terrestres describit Cic. 6. de Rep. & in Tusc. Vtraq; cōplexus est Ouid. his uersibus,

Utrq; duæ dextra cælum totidemq; sinistra

Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis.

Sic onus inclusum numero distinxit eodem

Cura Dei: totidemq; plagæ tellure premuntur.

Describit easdem Lucret. lib. v. Tibull. lib. 4. meminit interdum & Horat. quorum carmina cum assidue sint in manibus, nolo in illis recitandis tempus terere. illud non prætermittam, Quinque oras ab Homero in Achillis scuto appictas has

quinque; Zonas significare. Aerea enim ea, quae solis ardore torretur, clarissime indicat; duae stannae, frigidas, Aerea temperatas, quarum altera ad nos, altera ad Antipodas pertinet. Torridae latitudo tribuitur 48. graduu, totidem frigidis. nam singulis assignantur 24. cuius; uero temperatae 42. Quid uero de torrida & frigidis statuendum sit, an habitentur, dicetur infra. Noctium uero & dierum uarietas (sunt. n. alibi breuiores, alibi longiores) efficit, ut terra in climata & Parallelos diuideretur. Est. n. Clima terrae spatium intra duos Parallelos conclusum, in quo ad semissem horae maioris diei mutatur Horologium. Paralleli uero circuli sunt aequae inter se ex qualibet parte distantes, neque unquam concurrentes, de quibus dicemus postea. Dicitur uidentur Clima à Græco uerbo κλίμη, quod inclinare significat. est. n. spatium, quod ab aequatore declinat in Septentrionem. unde Vitruuius Climata Caeli inclinationes appellat, Pontanus Cliuos, Apud Græcos κλίματα Gradus etiã significant. qua in significatione usurpauit Alex. in Probl. ubi quaerit. *Διά τι μάλλον κλίμα κατιμεν ή διμεν.* hoc est cur facilius per gradus descendimus, quam ascendimus. Nec non apud Esaiã legimus *εως κλιματος των καταβανοντων απο πολιορ δεσβιδ.* id est, usque ad gradus, qui descendunt de Ciuitate Dauid. Differunt Climata à Zonis, quod hæc totam terram in quinque partes dissecant; illa uero terrae habitabilis partes distinguunt; præterea Zonæ habitationu discrimina; Climata uero horarum uarietatem continent. Semihorã cuius; climati tribuere Geographi, ut exacte longissimi diei quantitas in unoquoque climate possit inueniri, Illud animaduertere oportet, climata non eadẽ latitudine prædita esse; sunt. n. latiora, quae ad Aequatorẽ propius accedunt, arcuora uero quae ab eo longius recedunt, ueteres septẽ climata recensere, eaque octo Paralleliis distinxere à xij. gradu Aequatoris incipientes, L. terminantes. His noia imposita sunt ab insigni aliqua urbe, aut fluuio, aut monte per quæ protenduntur. Primum igitur Clima dicitur per Meroen, quia eius medium per Meroen in signum Aethiopiæ urbẽ diducitur. cuius initium xij. partibus distat ab Aequatore, medium xvj. finis xx. quod terrae spatium primo climate inclusum est 440. miliarioru. Alterum Clima dicitur per Syenẽ; quia eius medium Syenem Aegypti ciuitatem attingit continet diẽ horarum xij. cum dimidia, terrae uero spatium 400. miliaria. Tertium per Alexandriã, quia per hanc urbẽ Aegypti celeberrimã excurrit, ubi maior dies est horarum xij. cum dimidia, terrae spatium 300. Mill. Quartum per Rhodum, ubi longissimus dies est horarum xij. cum dimidia, terrae spatium 300. Mill. Quintum per Romam, ubi dies ad xv. horas protenditur. terrae spatium 250. Sextum per Boristhenẽ Scythiæ fluuiũ, ubi dies est horarum xv. cum dimidia; terrae spatium 212. Septimum à Ryphæis Scythiæ montibus appellationem habet, ubi longissimus dies est horarum xvj. terrae spatium 185. ubi uiderẽ licet ab initio primi climatis ad extremũ septimi discrimen esse horarum trium & dimidia, terrae uero interuallũ 2142. Mil. ultra hos limites arbitror ueteres non esse progressos, quod ultra eos terram comode habitari non posse existimarunt. Alij postea ad Tanais ostia progressi sunt, ubi horarum quinque; discrimen extat ab Aequatore, cum ibi sit maxima dies 17. horarũ. Posteriores ad Thylẽ accesserunt, ubi longissima dies horarũ xx. Nostræ uero tẽpestatis mercatores ad Glacialem, quã dicunt, insulam progressi sunt, ubi maxima dies est 24. horarum. Quamobrẽ nunc in 18. Climata quartam terrae partem, quo ab Aequatore ad polum protenditur, distinxere. quoru quinque; dimidia parti Torridæ Zonæ assignant, nostræ temperatæ octo, duo frigidæ, ubi iam nauigatur, tria reliquis partibus, quae ad polum propius accedunt. Sed nunc dicendum de Paralleliis, quos ita dictos uolunt à παραλληλῶν, quod æquare, & cõparare significat. Nã Parallelii sunt duę lineę eque inter se distantes, ut diximus, neque cõcurrentes. Hoc noie includuntur tã quinque; illi circuli in sphaera cõstituti, per quos Zonę distinguunt, quã solares illi, quos efficit sol à primo puncto Cãcri per librã excurrrens usque; ad Capricorni initium qui sunt 180. totidemque; enumeratur, cũ ab Hiemali Tropico ad æstiuũ per Arietẽ sol circũ

CLIMA

PARALLELI

agitur, unde numerus 360 expletur. Est & alterũ parallelorum genus, quos Geographi in orbis terrarũ descriptione reponunt, quibus climata distinguunt. Hos ab Aequatore per longitudinẽ constituunt in Arcũ procedendo eo ordine, ut alter ab altero per quartã horae partem distet. Primus igitur habet longissimũ diem horarũ xij. & quartę unius; quod itidẽ de reliquis existimare oportet. Ptolemaeus describit xij. parallelos ab Aequinoctiali Arcũ uersus multo plures statuere Neoterici, ut & climata, ut in eorũ tabulis licet uidere. Scire quoque; oportet distinguere orbem terrarũ per alios circulos, qui Meridiani appellantur, sed hi terrae longitudinem distinguunt, ut paralleli latitudinem. Est autem Meridianus maximus circulus transiens per polos mundi & per supremum uerticem cuiusque; loci, quem Zenit appellant, ad motum sphaeræ immobilis manens, nomen habet ex ea re, quod sol ubi ipsum attigerit, meridiem efficit, propter quod & circulum medij diei, siue medij caeli, Astrologi eum solent appellare, nunc cupidem regalem, item cardinem regiu, tum medium caeli. Quod uero ad numerum pertinet, tot esse meridiani possunt, quot ab ortu in occasum Zenit seu uertices discerni possunt. constituunt tamen Astrologi 180. meridianos ita ut quilibet per duos gradus oppositos ipsius Aequinoctialis, & per polos mundi transeat. Primum uero Meridianum in occidentem constituunt, planetarum motum sequentes ipsunquẽ per iugum fortunatarũ Insularum deducunt, inde seriatim procedentes singulos gradus singulis distinguunt meridianis. Nunc uero, quando terrã partiti sumus in Zonas, climata, Parallelos, & meridianos, eorũ qui terram incolunt, discrimina inuestigare oportet. ea uero sunt tũ à situ, tum ab umbris. A situ sic distinguuntur. Nam alij Perioeci, alij Antoeci, alij Antipodes appellantur. Perioeci enim sunt, qui in eadem plaga habitant, & sub eodem climate, uel parallelo, ita dicti, quod circa nos sedes obtineat, *περι* enim circa, *οικος* domum significat, Antoeci, uero qui trans Aequatorẽ ad parallelum eque latitudine ab eodẽ distãtem nobis in hemisphaerij sui cõformi latere sunt siti. *συ* de populi in Australi plaga uersantes, & qui totidem gradibus ab Aequinoctiali distãt, quot nos ab eodẽ recedimus, erunt nobis Antoeci. ut sunt qui caput bonae spei incolunt ita dicti quod diuersam & nobis ex altera parte respondentem regionem, non contrariam incolãt. *Αντι* enim apud Græcos, ut contra apud Latinos, non solũ contrarium & aduersum sed etiã quod ex altera parte respondet, significat. Antipodes uero sunt qui contra nos contrarijs uestigijs siti sunt, ita dicti quod quasi pedibus nostris eorũ pedes sint oppositi. ut populi sunt qui in nouo orbe Chilẽ regionem habitant. Eos uere Antipodes esse censendũ, quorum uestigia diameter per centrũ traiecta cõtingat nulla habita aut longitudinis, aut latitudinis ratione. Has populorum differentias indicauit Cic. vi. de Rep. his uerbis. Vides habitari in terris raris, & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis ubi habitatur, uastas inesse solitudines interiectas, hosque qui incolunt terrã, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab alijs ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim auersos, partim etiam aduersos stare nobis. Oes qui planam non globosam esse existimarunt Antipodas dari negauerunt. hac in sententia uideo fuisse Lucretium, D. Augustinum, & Isidorum. quos arbitror forte ita existimasse quod de his nulla est mentio apud sacras litteras. Verũ inter Christianos Theologos Clemẽs Petri discipulus primus Antipodas esse affirmauit. ut Origenes, & D. Hieronymus testantur. Oates Pythagoræ sectator putauit duas esse terras diuisas, quarum altera à nobis, altera ab Antipodibus coleretur. omnes denique; terrici existimarunt & si Antipodes essent, nullo pacto ad eos aliquem posse peruenire tum propter Oceanum in medio collocatum: tum ob torridam Zonam. sed non solum Antipodas esse, sed etiam ad eos penetrari posse uulgatæ neotericoꝝ nauigationes id clarissime confirmarunt. Sunt quaedam nobiscum cum Perioecis cõia, ut quatuor anni tempora, dierum & noctiu spatia, discrimina sunt, nam cum nos luce fruimur, illi nocte premuntur.

MERIDIA NVS.

POPULORUM NOMINA à SITU

An datur Antipodes.

Cum Antacis uerò habemus idē Hemispheriū, eundemq; Meridianū. eodem. n. tempore nobis & illis fit meridies, ita & de noctis medietate intelligendum. At propter orizontis discrimen dierū & noctium principia non eodem tempore contingunt apud nos & apud illos. Quamobrē longioribus diebus apud nos existētibus, breues sunt illis, cōtra cum ipsi longiori dierū spatio perfruuntur, breue fit nobis. Idem & de noctiū spatio intelligēdum est. Diuersa sunt quoq; inter nos & illos anni tempora, cum enim uere apud nos tument terre, tunc apud ipsos Autumni frigore primo lapsa cadunt folia. cum uerò apud nos urente agros siccio arefcunt herbae, tunc apud illos annū in uersa contristat Aquarius urna. sic de ceteris anni temporibus intelligere oportet. Atque ut post uernale Aequinoctiū apud nos dies superant noctes, contra fit illis: tunc enim descendētib; diebus noctes superant. Deniq; uertex, qui nobis eminet illis occultatur, ut Antarticus illis cōspicius nobis nunquā attollitur. At cum Antipodū gente nihil cōmune habemus, præter orizontē, & meridianum. Cum his. n. omnia cōtraria habemus Anni tēpora, dies, noctes, polos, aliaq; permulta. Quod uerò ad umbrarū discrimina pertinet, populi sic distinguuntur, ut alij Periscij, alij Eteroscij, alij Amphiscij dicantur. Quia in re illud primū scire oportet, Solē diuersis I regionibus diuersas ex corporibus umbras producere, atq; ex ijs orientālē appellari, quæ in ortū emittitur, ut quæ uesperī in eius occasu efficitur. Occidentālē, quæ mane in occasum tendit. Meridionalē, quæ in meridiē, Septemtrionalē, quæ ad Septemtrionē spectat. Perpendicularē, quæ sub pedes iacitur. Qui igitur sub Aequatore degunt, oēs umbrarum differentias habere cōstat; nam sole in capricorni sidere morante in Septemtrionem eorū iactantur umbræ, cum in cancro in meridiē, in Aequatore aut perpendicularē umbræ, aut nullæ sunt illis præter orientālē, & occidentālē, quæ cōtinuæ sunt omnibus. Qui uerò sub Cancri tropico incolunt, præter australem ceteras habent. Atqui in tēperatis, tres tantū, qui uerò ad polum spectant, unam circularē scilicet habent. Quamobrem cum triplici umbrarum discrimine teræ incolæ inter se differant orientali, & occidua exceptis tria quoq; ex umbris sortiti sunt nomina. Periscij enim dicuntur, qui umbras circum circa se mouentes habent quales sunt qui ad polum uergunt. Eteroscij uerò qui alteram tantum habent uel Australem, uel Meridionalē, ut qui in tēperatis habitant. Amphiscij sunt, qui utraq; & Australem & Meridionalē habent ut qui in torrida Zona habitant. Vnde apud Lucanū Arabes, qui Pompeio supplicias tulerant, queruntur umbras nemorum non ire sinistras. i. non uergerē ad Meridiem, quæ pars secundum poetas dicitur sinistra, ut Septemtrionalis Dexteræ. n. apud Philosophos, qui dexteram ortui assignant, sinistram occasui, quia principium motus est ab oriente. Et quoniam queri solet, an habitatio sit tam in adusta, quā in frigida Zona propterea altera nostræ lectionis pars in his quæstionibus soluendis uerfabitur: quas cum I O A N. B A P. R I N. in suis Astronomicis pluribus traçter, eas tamen nunc breui percurrere non in incundum fore arbitror, & primū quod ad Torridam spectat, uideo in tres partes dissectas esse oīum sententias, quarum prima est Aristotelis, Ptolemæi, Auerris. D. Thomæ, omniumq; ferē ueterum auctorū, quam & poete secuti sunt, qui simul censuere, nullo pacto sub torrida Zona habitari posse. Aristoteles asseruit Terram habitari totam secundum longitudinē, sed non secundū latitudinem, ut ex 2. Meteor. lib. clarissime patet. cum dicit eam latitudine terminatam esse, quia alibi præ frigore, alibi præ æstu habitari non potest, circulo uerò ob temperiem coniūgi posse, quādo in latus frigus & æstus exasperant, sed non in longum. Ptolemæus quoq; lib. 2. Almag. c. 6. inquit se non deprehendisse ad sua tempora, an sub linea Aequinoctiali habitetur, quoniam nemo ex sua regione adhuc ad eum locum pertenerat. Quæ res aliquam mouet dubitationem, cum in 2. Quadriper. asserat eorū animas qui sub Aequinoctiali degunt, qualitatesq; domesticas ac fauæ existere, præterea &

Populo-
rū discrimina
ex
umbris.

ANSYO
Torrida
fit habi-
tatio.

in Geo-

in Geographia & alios præter Aethiopus sub Aequinoctiali collocat: cōringit subnereri, ne non sit eiusdē Geographiæ opus & Almagestam. Auerris quoq; rationes addit, unā à signo, ut ipse ait. Si. n. locus aliquis est, qui ob frigoris intemperiem incolimī nime potest, necesse est ex altera parte alterum contra respondere, qui etiam ob uehementes ardores sit inhabitabilis, alteram à causa. Nam si solis maxima distantia, summaq; partium celi tarditas, qualis ea est, quæ ad polos summum frigus efficit eiusdem solis maxima propinquitare & celestis motus, siderumq; summa celeritate maximum calorē gigni oportet. confirmare id uidentur solis directi radij, qui ibi maximū æstum pariant. confirmare idem uidentur quod eius regionis incolæ in terræ cauernis uitam agunt unde & Troglodytæ appellati sunt. Horum rationes atq; sententias poete secuti sunt, inter quos præcipui Lucretius, Virgilius, Horatius & Propertius.

Alteram sententiam inuenio fuisse Eratosthenis, Polybij, & Auicennæ, qui per benignam temperiem in torrida esse statuunt, quorum opinionē quidā secuti existimant deliciarū hortum, quem uulgo Paradisum terrestrem appellant sub aequinoctiali sitū esse. Hi hac ratione mouentur, cum sol in aequatore plurimū à terra recedat, neque propinquus sit, cum uersatur in Tropici, non uehementi calore in eum agit. Omne. n. agens in debito interuallo moderate agere necesse est, præterea addunt calorem fieri ex mora solis supra orizontē, quod cum ibi non fiat, maximi æstus auctor esse non potest. nā quod de interdiu sol lumine & calore calefacit, id nox suo reparat humore. cum sint diebus noctes pares. Tertia est opinio non modò neotericorū, sed etiā ueterum quorundam, asserentium neq; esse temperatā, sed calori obnoxiam ob radios, qui directi eam pertingunt, neq; inhabitabilem. confirmat hanc opinionē experientia. Qui. n. regiones antea incognitas peragere ausi sunt, inuenierunt non solum torridā Zonam, sed etiam frigidā, deniq; totum terrarum orbem incoli. Quod uerò in adusta incommoda sit habitatio, argumento est incolarum subfuscus color, quem ex solis feruore fieri necesse est. sub Tropici uerò feruentiores esse regiones, quā sub Aequatore, indicio sunt Aethiopes nigro colore insignes, propterea incolæ excauant sibi specus, ut solis ardore possint effugere, unde Troglodytæ appellantur à Grecis. Quamobrem ex dictis clare patet sub Aequatore neq; esse tantum ardorē quem Aristoteles arbitratus est, neq; cum ibi aliqua reparatio sit ex nocturno spatio: neq; tā tam temperiem, quam inuenit Auicenna, nam directi radij interdum æstum efficiunt, sub tropicis uerò feruentiorem æstum esse tum ob solis directos radios, tum ob solis maiorē moram supra terram. Existimant quidam ueteres sub Aequatore nullā esse terrā: quæ opinio ex Homero uidetur ortum habuisse, qui solis equos ex oceano bibere, & ipsum sidus inde nutiri sinxit. cui sententiæ præter Macrobiū ad stipulatur etiam Albertus, qui tantum humoris sub torrida consumi existimauit, quantum sub polis quotidie gigneretur, in his. n. locis aquas ex nimio frigore generari arbitratus est, in casq; aërem. Sed cū supra de Aethiopibus habitatio sit mentio, illud discutiendum uidetur. Quid est, quod in Africa tantū inueniantur, non alibi, cui dubitationi satisfacere licet hoc pacto. Id non tantum ex solis ardore fieri, quantum externa qualitate, plurimū enim hæc pollet ad regionis cōmoda, uel incommoda, tum ad incolarū aspectum, habitudinēq; Magni. n. refert arida ne sit terra, an pinguis, saxea, an arenosa, fluminibus scatens, an aquarū indiga. Montuosa, an plena, quæ res plurimū ad temperiē uel intemperie pertinent. His accedunt uentorū status, quibus exposita est, & per quæ loca transeant, quod tanti est, ut interdum propinqua regionis diuersis sint prædix qualitaribus. sitq; ea. ū altera salubris, altera insalubris, alia frigidibus infestetur, alia calore aduratur in Libya. Igitur cum maxima sit planities, eaq; maximis obdacta arenis, nullis ac pene exiguis aquis irrigua, inde fit, ut maxime concipiat ardore. sic calefacto aere facile hominū habitudo immutari potest, reddunturq; incolæ atro colore

lore insignes, in alijs uerò locis cum montiù umbris, & nemorum regio defenfa fit, tñ aquis irrigua, tñ uliginoso solo tecta, idem incolis contingere minime posse ratio ipsa indicat. Quare & si nigro aspectu non sunt, fuscedine tamen aliqua inficiuntur. Vnde uerò, & quò fiat nigredo in Aethiopiis, capillorum crispitudo, labiorù & superiorum partium tumefactio, adhuc crurù inconcinnitas & exilitas, cur cū nigro sint alpe-ctu, albis tamen dētibus præditi sint, Aristoteles abunde docet in Probl. sectione xiiij. qui harum rerum causas uni calori adscribit, à quo corpora haud secus ac ligna solēt deprauari. Astrologi quoq; ut pedum uitium, quo Aethiopes laborant, indicare et, sin- xere Tauri cæleste signum in eorum regionē pedem exporrigerent. laborant .n. boues plerunq; ex pedibus. Vnde fiat pilorù crispitudo, idem Arist. indicat lib. 7. de Cener. Anim. cap. 3. ubi caliditati & siccitati eam tribuere uidetur. Est ergo in Aethiopiis niger aspectus, quia sanguis caloris uiribus ex internis partibus ad exteriores educus aduritur, atq; tenuibus partibus exsiccatis, atq; exsuctis remanent grauiorēs, & magis turbidę: ita in atrum uertuntur calorē. in eisdem supremæ partes intumescunt, in simæ exiles sunt: quia calor humorē ex inferiori parte educens efficit, ut crura humore desituta siccescant, exiliaq; maneat. pectus uerò labiaq; humore redundantia tumescant, sunt quoq; Aethiopiis unguēs nigri, quia cutis, quæ ipsis subest, nigrore in- fecta est; dentes uerò albi, quia ex illis sol humorē detrahit. Et quoniā contrariorum eadē est disciplina, postquā expediimus, quæ ad Torridam plagā uidebant pertinere pauca quædam de frigida dicenda supersunt. Neq; huiusce regionis gelu sinet me lon- gius progredi. Multo minus in frigida quā in torrida plaga habitandi locū esse existi- mant ueteres, siquidē frigidum cum uitæ ut quæ calido sustentetur, admodū aduer- sum sit, neq; fruges, neq; arbores cæteraq; humano uicui necessaria ibi nasci sinat. ra- tio ipsa fateri cogit, nullo pacto ibi homines existere posse. Verum nostra ætate aliter cōpertum est. Nam ultra ultimā antiquorum Thulem nostri processere, ultraq; Arcti cum circulū inuenere Grotlandiā, Filappelandiā & Biarmiam, compluresq; alias re- giones populi referat; quamquā an sub polo ipso aliqui incolant, nondum compertū est, cum nemo eo usq; peruenerit. Olaus tamen magnus, qui Septemtrionalia descrip- sit, Biarmios sub polo statuit, sed non uerè polū supra uerticem habere: & si ad illum propius quā cæteri accedant. Mare ibi glaciale esse censent, neq; ibi aliquid oriri pos- se, quod ad hominū uitam sustentandā pertineat. Quòd uerò incolæ in tam frigidis degant regionibus, mirū nemini debet uideri. multum est, .n. alicubi & nasci & edu- cari. Nam ut calidis in locis assueta corpora solis ardores sustinent, quibus cauernarū munimento obfistunt; sic in frigidis gelu durati & subterraneos subeunt specus & pel- libus tecti aduersus frigoris molestias se tuebunt. Immo (quod mirum uideri pōt) qui in frigidis habitant locis, sunt magna præditi corporum mole, quod ex magna humo- ris copia fieri putandum est. non .n. à sole exsugitur, ut fit in calidis. cum enim ibi hu- mor assidue augeatur, neq; solis uiribus imminuatur, efficit corporū moles ampliores. uerum hoc tñ non est in omnibus regionibus: nam qui propius ad polū accedunt, im- mense frigoris uiribus, sunt paruo corpore. perpetuo .n. immensoq; frigore animalis calor uincitur. Sunt quoq; animosi ob sanguinis, & caloris copiā, fortitudine .n. præ- stant, qui sunt natura calida. ut timidi, qui frigida, quales Aethiopes esse censentur, qui sanguinis & caloris defectu timiditate infames habentur. Vtriq; tamen morum fe- ritate noti sunt, quod ex aeris intēperie fieri putat Aristoteles: nam ut optima tēperies non solum corpori, sed etiam intelligentiæ hominis prodest: ita excessus oēs & animi & corporis habitudinē peruertunt. Feritatē rarò esse inter homines putauit Aristote- les. Sed ea minime carere barbaras nationes. Id uerò ob morbos læsionesq; principij fieri asserit. Quod uerò Meridionales sapientia præcedant Septemtrionales: discipli- nę enim oēs ab illis ortum habere, id ob cæli tenuitatē ac puritatem fieri putandum est.

est. Septemtrionalē uerò regionē semper fere nebula, malusq; Iuppiter urget, ut in- quit Horatius. Licet .n. uidere (ut inquit Cicero) acutiora ingenia & ad intelligendū aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quā illorū, qui utantur crasso cælo, atq; concreto: Sed iam extrema hæc ora extremam iubet ma- num huic meæ orationi imponere: temporisq; angustia longius progredi nō sinant. Faciam igitur, quod Geographi solent, si qua enim sunt, ad quæ ipsi cognitione adspi- rare nequeunt in orbis terrę situ describendo, ea extremis tabularum partibus suppri- mentes adijciunt locos esse arenosos, uastos, cælo, terræque penuriam aquarum, aut insuperabilem limum, aut asperos montes, aut strictum frigore pontum. sic ipse quo per imperitiā peruenire nequim, aut per ingenij imbecillitatem, tēporis angustijs, & orbis terrę extremę oræ adscripsi. uos uerò nostra hæc quæcunque sunt, qua mente exhibuimus, eadē suscipienda ducite.

V R A N I A.

Academicos ad Theologiam hortatur.

NOBILISSIMVS hic uester per omnes orbis partes excursus Academi- ci solertissimi, quem tñ honeste, tamq; celeriter hodie peregistis, incitauit me, ut ex Luculliana uilla CICCIOffredæ saluberrimo, amoenissimo- que domicilio, ubi Apollo una cum Musis cōmoratur, uestram adirē Aca- demia, utq; uestros labores suis ornarem, laudibus. & quid posthac facere nos oportet, Ducis nostri, & Sororū iussu cōmonetacerē. Ipsa sum Vrania superiorū siderum speculatrix, propterea huc accessi, ut uos ab inferis hisce rebus ad cælestes traducerē. Sed cum per corporeā molem id non detur, mente perficiendū est. Idq; & celeriter, & hilare, quando nimirū in humanis immorati estis. Nā si iucundū fuit, Caucasum Atlan- tē, Hyperboreos, ac Pyreneos montes superare: tum Arabū odoriferas lustrare regio- nes, adhuc Fortunatas insulas, & Garamātas, & Indos adire: Aethiopiūq; aridos cam- pos, & Scythicas premere pruinās: deniq; Nilum, Gangē, Danubium, Rhenū, ac Ta- gum aureis arenis insignē trajicerē, neq; Americam ipsam Antipodum sedē prisicis in- cognitam prætermittere: quanto iucundius esse arbitramini per amplos cælestium cā- pos spatari, siderū cursus inspicere, diuinorumq; animorum domos adire: atq; adeo Dei ipsius rerum oīum opificis clarissimum lumen intueri? Maxima humanarum rerū cognitio cum cælestium ac diuinarū notitia nihil est conferenda. Pulchrū est cæteras assequi disciplinas: multum .n. ad hominum usum conferunt, multū ad mores instruē- dos, & ad uitam bene instituentandā, aut ad imperitiæ caliginem pellendam, sed nihil ad Theologiam. Rerum umbræ illæ sunt, hæc uerò res ipsę. Quid prodest cum Cicē- rone percepisse orationis ornamenta? Quid cum Chrisippo differendi facultatem? Quid cum Pythagora numerorum argutas rationes? Quid cū Archimede inextrica- biles figurarum nodos? Quid cum Ptolemæo immensas terrę, marisq; dimensiones? Quid cum Platone & Aristotele abdita Philosophiæ dogmata? Quid cum Scuola, uel Vlpiano innumerabiles legū sanctiones & Theologiæ saluberrima arcana ignora- re? Nihil est, nihil prodest. H A E C una illa disciplina est, quæ cæteris omnibus an- cellit, & argumētis dignitate, & rerum abditarum præstantia, & utilitatis magnitudi- ne, & certioris ueritatis ratione. Denique doctoris, qui eam tradidit, excellentia & finis sublimitate. Consistunt cæteræ in hominum opinione: hæc ex supremo increa- tē sapientiæ radio ortum habet. Huius scientiæ non Aristoteles, nō Plato auctor est, non Moses, non Daud, nō Hieremias, non Ezechiel, Non deniq; Petrus, nec Paulus, SED

SED CHRISTVS ipse Dei filius, æterni patris Sapiencia, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei absconditi: & qui omnia quæcunque audiuit à Patre, nota fecit omnibus. Si finem, quem ipsa pollicetur, inspicitis, est is æternitas illa, ac sempiterna felicitas, quam diuina mandata seruantibus certissime promittit. Quid tamdiu in gentilium auctorum scriptis euoluendis defatigamini? cur in illis erudiscendis omne tempus teritis? expectatis aliquid scire cum Socrate, qui se hoc unum scire asseuerabat, quod nihil sciret? An putatis lumen in tenebris inuenire unã cum Anaxagorã? An ueritatem ex altissimo puteo extrahere unã cum Democrito? An cùm Arcefilã, & Carneade aliquid uidere, sentire, ac percipere? contriuerunt hi innumerabilesq; alij omne tempus in ueritate eruenda, sed ab ea longissime aberrarunt. Alibi querenda, ex Sacra Theologia, non ex horum scriptis est repetenda. Agite ergo eiusmodi scriptis posthabitis, adite iam diuina: spatiamini aliquantulum per sacrarum litterarum saluberrima prata. Quarite tandem uberrimos ueræ pietatis fontes, Atque haud secus in his immorandum ducite, ac candidæ solent columbæ apud limpidissimas aquas, ut immanium hostium, insidias & spectate, & uitare non ignoretis. **D**IVINIS cogitationibus mens alitur, ac sustentatur, his spiritus attollitur, ac recreatur. Turpe est tam præclara ingenia sublimia illa Dei arcana ignorare, Immortales animos immortalia decent. Facessant quæso posthac uani gentili in libri, satis superq; in his elaboratis. Multum ac diu in obscuris, ac perplexis auctorum operã lusistis, in quibus nulla est salutis, nulla ueri cognitio. **H**O C quantulumcunque uitæ temporis superest, detur Theologiæ; hoc est disciplinarum omnium reginæ, Ex huius clarissimis fontibus cuique laurire licebit, quid credendum, quid sperandum sit. Hæc sola Dei ueritatem exhibet, Hæc omnis in penitentiã, ut lucidissimus sol nebulas dissipat, Hæc ueræ salutis monstrat iter. Turbant cæteræ humanam mentem ac potius angunt, atque excruciant, sola hæc ueram pacem, optatamque animis tranquillitatem elargitur. Auertunt cæteræ à Deo humanas mentes, hæc sola hominum cogitationes ad diuina semper conuertit. **F**ELIX, cuius animus in tam præclara contemplatione acquiescit. Huic nihil accidere potest, quod eius mentem insectere, aut commouere possit. Verum si ad tam sublimem doctrinam aspiratis, cum ea nihil immundum ferre possit. **N**ITIDIS iustitiæ, ac pietatis uertibus indutos ad eam accedendum est. Docet ipsa humilitatem, patientiam, constantiam, mansuetudinem, animi moderationem, castitatem, humanarum reru contemptionem, reliquasque uirtutes præclarissimas, quas ipse humanæ salutis certissimus auctor professus est, dum fuit in terris. Agite ergo, ipsa dux & comes semper adero, tam præclarum iter ingrediamini meorum memores dictorum. vosque hæc spes foueat, id si libenter egeritis, hic bene, dum uita manebit, suprema uerò post fata in cælo cum beatis mentibus atque ad eum cum Deo ipso beate esse uicturos.

F I N I S.

Imprimatur.

P. Francif. Guidob. Vicar. Gen. Neapol.

Io. Franciscus Lombardus. Vidit.

Paulus Regius, f. 22.

NEAPOLI, Apud Horatium Saluiatum. M. D. LXXX.